

tionemq; penitus peruidebant) deprauati sunt ab itinere recto, & cœlestes literas corruerunt, ut nouam sibi doctrinam sine ulla radice ac stabilitate componerent. Nonnulli autem falsorum prophetarū uaticinio illecti, de quibus & ueri prophetae, & ipse prædixerat, exciderunt à doctrina dei, & traditionem ueram reliquerūt. Sed illi omnes dæmoniis fraudibus irretiti, quas prospicere & cauere debuerāt, diuinum nomen & cultum per imprudentiā perdiderunt. Quum enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valētiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Arriani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierūt, ij, qui Christi nomine amisso, humana & externa uocabula induerūt. Sola igitur catholica ecclesia est, quæ uerum cultum retinet. Hic est fons ueritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum dei: quò si quis nō intrauerit, uel à quo si quis exiuerit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri: agitur enim de uita & salute: cui nisi caute & diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quicq; cœtus hæreticorum se potissimū Christianos, & suam esse catholicam ecclesiam putant, sciendum est illam esse ueram, in qua est religio, confessio, & pœnitentia: quæ peccata & uulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli, ne quis errorē fugere cupiens, maiori implicetur errore, dum penetrabile ueritatis ignorat. Postea plenius & uerius contra omnes mendaciorū sectas proprio separatoq; opere pugnabimus. Sequitur ut quoniam satis de religione uera, & sapientia locuti sumus, in proximo libro de iustitia differamus.

Hæreticorum
sectæ.

LIBRI QVARTI FINIS.

D

L. COELII LACTANTII FIRMIANI
DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS
GENTEIS LIBER QVINTVS DE IV-
STITIA, AD CONSTANTINVM
IMPERATOREM.

Quod iniquum & impiū est ante damnare uel personam uel causam, quàm de merito eius cognoscere: Et quare sapientia iungenda sit religioni: Et quare sapientia huius mundi literas sacras contempserit: Et quod eloquentia seruit seculo: & plerunq; ut amplius elucescat, ex industria impugnat ueritatem, quæ ferè semper idoneis assertoribus indiget. Cap. I



NON est apud me dubiū, Constantine Imperator maxime, quoniam hoc opus nostrum, quo singularis ille rerum cōditor, & huius immensi operis rector asseritur, si quis attigerit ex istis inepte religiosus (ut sunt nimia superstitione impatientes) infectetur etiam maledictis: ut uix lecto fortasse principio, affligat, proijciat, excretur, seq; inexpiabili scelere contaminari atq; astringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen si fieri potest, humanitatis iure postulamus, ut non prius damnet, quàm uniuersa cognouerit. Nam si sacrilegis, & proditoribus, & ueneficis potestas defendēdi sui datur, nec prædamnari quenquam incognita causa licet, nō iniuste petere uidemur, ut si quis erit ille, qui inciderit in hæc, si leget, perlegat: si audiet, sententiam differat in extremum. Sed noui hominū pertinaciam, nunquam impetrabimus. Timent enim

A enim ne à nobis reuicti, manus dare aliquando clamante ipsa ueritate cogantur. Obstreperunt igitur, & intercedunt, ne audiant: & oculos suos opprimunt, ne lumen uideant, quod offerimus. Quo planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, quæ neq; cognoscere, neq; congregari audent: quia sciunt se facile superari. Et idcirco disceptatione sublata,

Pellitur è medio sapientia, ui geritur res.

Ut ait Ennius. Et quia studet damnare tanquam nocentes, quos utiq; sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt: quasi uero maior iniquitas sit, probatam innocentiam damnasse, quam inauditam. Sed (ut dixi) uerentur, ne si audierint, damnare non possint: Et ideo cultores dei summi, hoc est iustos homines torquent, interficiunt, exterminant: nec causas odiorum ipsi reddere possunt, qui tam uehementer oderunt: quia ipsi errant, irascuntur ijs, qui uiam ueram sequuntur: & cum corrigere se possint, errores suos insuper crudelibus factis coaceruant, innocentium cruore maculantur, & dicatas deo mentes euisceratis corporibus detorquent. Cum talibus nunc congregari & disputare contendimus. Hos ad ueritatem ab inepta persuasionem traducere, qui sanguinem facilius hauserint, quam uerba iustorum. Quid igitur? Operam ne perdemus? Minime. Nam si lucrari hos à morte, ad quam concitatissime tendunt, non potuerimus, si ab illo itinere de morte ad uitam lucemq; reuocare, quoniam ipsi salutem suam repugnant: nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis, ac solidis radicibus fundata & fixa sententia. Nutant enim plurimi, & maxime qui literarum aliquid attigerunt. Nam & in hoc philosophi, & oratores, & poetæ perniciosi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suauitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Ob eamq; causam uolui sapientiam cum religione coniungere, ne quid studiosis illa inanis doctrina possit officere: ut iam scientia literarum non modò nihil noceat religioni atq; iustitiæ, sed etiam prosit quamplurimum: si is, qui eas didicerit, sit uirtutibus instructior, & ueritate sapientior. Præterea etiam nulli alij, nobis certe proderit, delectabit se conscientia, gaudebitq; mens se in ueritatis luce uersari, quod est animæ pabulum incredibili quadam iucunditate perfusum. Verum non est desperandum, fortasse non canimus surdis. Nec enim tam in malo statu res est, ut desint sanæ mentes, quibus & ueritas placeat, & monstratum sibi rectum iter & uideant, & sequantur. Circumliniatur modò poculum cœlestis sapientiæ melle, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari, dum illiciens prima dulcedo, acerbiter saporis asperi sub prætextu suauitatis occultat. Nam hæc in primis causa est, cur apud sapientes, & doctores, & principes huius seculi scriptura sancta fide careat: quod prophetæ cõmuni ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaq; ab ijs qui nihil audire, uel legere nisi expolitum ac disertum uolunt: nec quicquam inharere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Illa uero, quæ sordida uidentur, anilia, inepta, uulgaria existimantur. Ideo nihil uerum putant, nisi quod auditu suaue est: nihil credibile, nisi quod potest incutere uoluptatem. Nemo rem ueritate ponderat, sed ornatu. Non ergo credunt diuinis, quia fucis carent: sed ne illis quidẽ, qui eas interpretant: quia sunt & ipsi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam ut plene sint eloquentes, perraro contingit: cuius rei causa in aperto est. Eloquentia enim seculo seruit, populo se iactare, & in rebus malis placere gestit. Siquidẽ ueritatem sapius expugnare conatur, ut uim suam monstret: opes expetit, honores concupiscit, summum deniq; gradum dignitatis exposcit. Ergo hæc quasi humilia despicit, arcana tanquam contraria sibi fugit: quippe quæ publico gaudeat, & multitudinem celebritatemq; desideret. Eo

Cur scriptura
sacra apud
quosdam fide
caruerit.

fit, ut sapientia & ueritas idoneis præconibus indigeat. Et si qui forte literatorum
 se ad eam cōtulerūt, defensionī eius nō suffecerūt. Ex ijs qui mihi noti sunt, Minu-
 tius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Huius liber, cui Octauio titulus
 est, declarat quā idoneus ueritatis assertor esse potuisset, si se totū ad id studium
 contulisset. Septimius quoq; Tertullianus fuit omnī genere literarū peritus, sed in
 loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic
 quidem satis celebritatis inuenit. Vnus igitur præcipuus & clarus extitit Cypria-
 nus, qui magnam sibi gloriā ex artis oratoriae professione quæsierat, & admodū
 multa conscripsit in suo genere miranda: erat enim ingenio facilis, copioso, suauis,
 & (quæ sermonis maxima est uirtus) aperto: ut discernere nequeas, utrum ne or-
 natiō in loquēdo, an facilior in explicādo, an potētior in persuadendo quisq; fue-
 rit. Hic tamen placere ultra uerba sacramentū ignorantibus nō potest: quoniā my-
 stica sunt, quæ locutus est, & ad id præparata, ut à solis fidelibus audiant. Deniq;
 à doctis huius seculi, quibus forte scripta eius innotuerūt, derideri solet. Audiui
 ego quendā hominē disertū sanē, qui eū immutata una litera † Caprianū uocaret,
 quasi quod elegās ingeniū, & melioribus rebus aptū, ad aniles fabulas cōtulisset.
 Quod si accidit hoc ei, cuius eloquētia nō insuauis est, quid tandē putemus accide-
 re illis, quorū sermo ieiunus est & ingratus: qui neq; uim persuadendi, neq; subti-
 litatē argumentādi, neq; ullā prorsus acerbitatē ad reuincendū habere potuerūt:

Quod ex defectu doctorum data est temerarijs hominibus audacia impugnandi ueritatem
 ignotam: & hoc probat exemplo duorum philosophorum, quos uiderat
 in Bithynia. Cap. II



D

Lactantius in
 Bithynia ora-
 toriā professus

Ergo quia defuerunt apud nostros idonei, peritiq; doctores, qui uehe-
 menter, qui acriter errores publicos redarguerēt: qui causam omnem
 ueritatis ornate copioseq; defenderēt: prouocauit quosdam hæc ipsa
 penuria, ut auderent scribere cōtra ignotam sibi ueritatē. Omitto eos,
 qui prioribus eam temporibus nequicquā lacerauerunt. Ego quū in Bithynia lite-
 ras oratorias accitus docerē, contigissetq; eodem tempore, ut dei templū euertere
 tur: duo extiterūt ibidem, qui iacenti atq; abiectæ ueritati, nescio utrū superbius,
 an importunius insultarent, quorū alter antistitem se philosophiæ profitebat, ue-
 rum ita uiciosus, ut cōtinentiæ magister nō minus auaritiā, quā libidinibus arde-
 ret: in uictu tam sumptuosus, ut in schola uirtutis assertor, parsimoniæ, paupertas-
 tisq; laudator, in palatio peius cœnaret, quā domi, tamē uitia sua capillis & pala-
 lio, & (quod maximū est uelamentū) diuitijs prætegebat: quas ut augetet, ad ami-
 citias iudicum miro ambitu penetrabat, eosq; sibi repente autoritate falsi nominis
 obligabat: nō modò ut eorū sententias uenderet, uerū etiam ut cōfines suos, quos
 ædibus agrisq; pellebat à suo repetendo, hac potentia retardaret. Hic uero, qui
 suas disputationes moribus destruebat, uel mores suos disputationibus arguebat,
 ipse aduersus se grauis censor, & accusator acerrimus, eodem ipso tempore, quo
 iustus populus nefarie lacerabat, tres libros euomuit contra religionē, nomenq;
 Christianū: professus ante omnia, philosophi officii esse, erroribus hominū sub-
 uenire, atq; illos ad ueram uiam reuocare, id est ad cultus deorū: quorū numine ac
 maiestate (ut ille dicebat) mundus gubernaret: nec pati, homines imperitos quo-
 rundam fraudibus illici: ne simplicitas eorū prædæ ac pabulo sit hominibus astu-
 tis. Itaq; se suscepisse hoc munus philosophiā dignū, ut præferret non uidentibus
 lumen sapientiæ: non modò ut susceptis deorū cultibus refanescant, sed etiam ut
 pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta deuitent, nec sæuas mem-
 brorum lacerationes frustra perpeti uelint. Vt autem appareret cuius rei gratia
 opus

A opus illud elaborasset, effusus est in principum laudes: quorum pietas & prouidentia (ut quidem ipse dicebat) tum in cæteris rebus humanis, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruisset: consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia & anili superstitione, uniuersi homines legitimis sacris uacarent, ac propitios sibi deos experirentur. Vbi autem religionis eius, contra quam perorabat, infirmare uoluit rationem, ineptus, uanus, ridiculus apparuit, quia grauis ille consultor utilitatis alienæ, non modò quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nesciebat. Nam si qui nostrorum affuerunt, quamuis temporis gratia conticescerent, animo tamen derisere: utpote quum uiderent hominem profitemem, se illuminaturum alios, quum ipse cæcus esset: reducturum alios ab errore, quum ipse ignoraret, ubi pedes suos poneret: eruditurum alios ad ueritatem, cuius ille ne scintillam quidem unam uidisset aliquando: quippe quum sapientiæ professor profligare sapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quod illo potissimum tempore id operis esset aggressus, quo furebat odiosa crudelitas. O philosophum adulatorem ac temporis seruientem. Verum hic pro sua inanitate contemptus est, qui & gratiam, quam sperauit, non est adeptus: & gloria, quam captauit, in culpam reprehensionemque conuersa est. Alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat tunc e numero iudicum, & qui autor in primis faciendæ persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos quos affixerat, infectus est. Composuit enim libellos duos non contra Christianos, ne inimice insectari uideretur: sed ad Christianos, ut humane & benigne consulere putaretur: in quibus ita falsitatem scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota cõtraria: nam quædam capita, quæ repugnare sibi uidebatur, exposuit, adeò multa, adeò intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse uideat. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere: qui religionis, cui fuerat assensus: & fidei, cuius nomen induerat: & sacramenti, quod acceperat, proditor factus est: nisi forte casu in manus eius diuinæ literæ inciderunt. Quæ igitur temeritas erit id audere dissoluere, quod illi nemo interpretatus est bene, quod aut nihil didicit, aut nihil intellexit: Tantum enim abest à diuinis literis repugnantia, quantum ille abfuit à ueritate & fide. Præcipue tamen Paulum Petrumque la-cerauit, cæterosque discipulos, tanquam fallaciæ seminatores: quos eosdem tum rudes, & indoctos fuisse testatus est: nam quosdam eorum piscatorio officio quæstum fecisse: quasi ægre ferret, quod illam rem non Aristophanes aliquis, aut Aristarchus commentatus sit.

Quod discipulis Christi uoluntas mentiendi abfuit, qui uitam exercebant contrariam uitæ: Et quod respondendum fuit blasphemie eorum, qui Christum magum fuisse mentiti sunt, & sibi ipsi contraria docuerunt. Cap. III



Abfuit ergo ab his fingendi uoluntas & astutia: quoniam rudes fuerunt. Aut quis posset indoctus, apta inter se & coheretia fingere, quum philosophorum doctissimi Plato, & Aristoteles, & Epicurus, & Zenon, ipsi sibi repugnantia & contraria dixerint: Hæc est enim mendaciorum natura, ut coherere non possint. Illorum autem traditio, quia uera est, quadrat ubique, ac tota sibi consentit, & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Non igitur quæstus & commodi gratia religionem istam commenti sunt: quippe qui & præceptis, & ipsa re eam uitam secuti sunt, quæ & uoluptatibus caret, & omnia quæ habentur in bonis, spernit: & qui non tantum mortem pro fide subierint, sed etiam morituros esse se & scierint, & prædixerint: & postea uniuersos, qui eorum disciplinam secuti essent, acerba & nefanda passuros. Ipsum

C autem Christum affirmavit à ludæis fugatum, collecta noningentorū hominum manu, latrocinia fecisse. Quis tantæ autoritati audeat repugnare? Credamus hoc planè: nam fortasse illi hoc in somnis Apollo aliquis nunciauit. Tot semper latrones perierunt, & quotidie pereunt, utiq; multos & ipse damnasti: quis eorū post crucem suam, non dicam deus, sed homo appellatus est? Verum tu forsitan ex eo credidisti: quia uos homicidā Martem consecrasti, ut deum: quod tamen non fecissetis, si illum Areopagitæ in crucē sustulissent. Item quū facta eius mirabilia destrueret, nec tamē negaret, uoluit ostendere Apollonium, uel paria, uel etiā maiora fecisse. Mirū quod Apuleium prætermisit, cuius solent & multa, & mira memorari. Cur igitur ô delirum caput, nemo Apollonium pro deo colit, nisi forte tu solus, illo scilicet deo dignus, cum quo te in sempiternū uerus deus puniet? Si magnus Christus, quia mirabilia fecit: peritior utiq; Apollonius, qui (ut describis) quū Domitianus eum punire uellet, repente in iudicio non comparuit, quā ille qui comprehensus est, & cruci affixus. At enim ex hoc ipso fortasse insolentiam Christi uoluit arguere, quod deum se cōstituerit, ut ille uerecundior fuisse uideat, qui quū maiora faceret, ut hic putat, tamen id sibi nō arrogauerit. Omitto nūc ipsa opera cōparare: quia in secūdo, & superiori libro de fraude ac præstigijs artis magicæ dixi. Nego esse quenquam, qui non optet in primis id sibi post mortem contingere, quod etiam reges maximi concupiscunt. Cur enim homines sibi sepulchra magnifica, cur statuas, cur imagines comparant? cur aliquibus factis præclaris, aut etiā morte pro ciuibus suscepta, student opiniones hominū promereri? Cur deniq; ipse ingenij tui monumentū hoc detestabili stultitia, tanquā cœno ædificatum, constituere uoluisti, nisi quod immortalitatē de memoria nominis speras? Stultū est igitur, id putare Apollonium noluisse, quod optaret utiq; si posset: quia nemo est, qui immortalitatē recuset, & maxime quū eum dicas & adoratū esse à quibusdā, sicut deū, & simulacrū eius sub Herculis Alexicaci nomine constitutū, ab Ephesijs etiam nunc honorari. Non potuit ergo post mortem deus credi, quia & hominē, & magū fuisse cōstabat: & ideo alieni nominis titulo affectauit diuinitatē, quia suo nec poterat, nec audebat. Noster uero & poterat deus credi, quia magus non fuit: & creditus est, quia uerus fuit. Non (inquit) hoc dico, idcirco Apolloniū nō haberi deū, quia noluerit: sed ut appareat nos sapientiores esse, qui mirabilibus factis non statim fidem diuinitatis adiunximus, quā uos, qui ob exigua portenta deum credidistis. Non est mirum si tu, qui à dei sapientia longe remotus es, nihil prorsus intelligis eorum, quæ legisti: quū ludæi, qui à principio prophetas lectitauerant, quibusq; sacramentū dei fuerat obsignatum, tamen quid legerent, ignorauerūt. Disce igitur, si quid tibi cordis est, non idcirco à nobis deū creditum Christum, quia mirabilia fecit: sed quia uidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt uaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putassemus, ut & uos nuncupatis, & ludæi tunc putauerunt, si non illa facturū Christum prophætæ omnes uno spiritu prædixissent. Itaq; deum credimus, non magis ex factis operibusq; mirandis, quā ex illa ipsa cruce, quam uos, sicut canes lambitis: quoniam simul & illa prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti credi potest?) sed prophetarum testimonio, qui omnia quæ fecit ac passus est, multo ante cecinerunt, fidem diuinitatis accepit: quod neque Apollonio, neq; Apuleio, neq; cuiquam magorum potuit, aut potest aliquando contingere. Quū igitur talia ignorantia suæ deliramenta fudisset, quū ueritatem penitus excidere connixus esset, ausus est libros suos nefarios ac dei hostes *φιλαλθεϊς*, id est ueritatis amatores annotare. O cæcum pectus, ô mentem cimmerijs (ut aiunt) tenebris

Apollonius
magus.

A nebris atriores. Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuit, cui niues atramentum fuerunt: atq; eadem cæcitas est, & uero falsitatis, & mendacio ueritatis nomen imponere. Videlicet homo subdolos uoluit lupum sub ouis pelle celare, ut fallaci titulo posset irretire lectorem. Verum esto inscitia hoc, nō malitia feceris. Quam tandem nobis attulisti ueritatem, nisi quod assertor deorū, eos ipsos ad ultimum prodidisti: Prosecutus enim summi dei laudes, quem regem, quē maximū, quem opificem rerum, quem fontem bonorū, quem parentem omniū, quem factorem autoremq; uiuentium confessus es, ademisti loui tuo regnum, eumq; summa potestate depulsum, in ministrorum numerum redegisti. Epilogus itaque te tuus arguit stultitiæ, uanitatis, erroris. Affirmas enim deos esse, & illos tamen subijcis, & mancipas ei deo, cuius religionem conaris euertere.

Quare hoc opus inceptum sit, & contra quos, & ad quid proficit.

Cap. IIII



I ergo, de quibus dixi, quum præsentem me ac dolente, sacrilegas suas literas explicassent: & illorū superba impietate stimulatus, & ueritatis ipsius cōscientia, & (ut arbitror) deo, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenij mei uiribus accusatores iustitiæ refutarem: nō ut contra eos scriberem, qui paucis uerbis obteri poterāt, sed ut omnes, qui ubiq; idem operis efficiunt, aut effecerūt, uno simul impetu profligarem. Non dubito enim quin & alij plurimi, & multis in locis, & non modò græcis, sed etiam latinis literis, monumentum iniustitiæ suæ struxerunt: quibus singulis quoniam respondere non poteram, sic agendam mihi hanc causam putauī, ut etiam priores cum omnibus suis scriptis peruerterem, & futuris omnem facultatem scribendi aut respondendi amputarem: præbeant modò aures. Efficiam profectò, ut quicunq; ista cognouerit, aut suscipiat quod ante damnauit: aut, quod est proximum, deridere aliquando desistat. Quanquam Tertullianus eandem causam planè perorauerit in eo libro, cui Apologetico nomen est: tamen quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione, aut negatione sola positum est: aliud instituire, quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius substantiam contineri: non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non executus est in ea oratione, qua Demetrianū (sicut ipse ait) oblatrantē atq; obstrepentem ueritati redarguere conatur, qua materia non est usus, ut debuit. Non enim scripturæ testimonijs, quam ille utiq; uanam, fictam, cōmentitiā putabat, sed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam quū ageret contra hominem ueritatis ignarū, dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tanquā rudem debuit, eiq; paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret. Nam sicut infans solidi ac fortis cibi capere uim non potest, ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis uiribus uesci fortioribus possit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana testimonia offerri, id est philosophorum, & historicorum, ut suis potissimū refutaretur autoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum, ut ijs solis contentus esset, quibus fides constat: accessi deo inspirante, ut ego facerem, & simul ut uiam cæteris ad imitandum parem. At si hortatu nostro docti homines ac disertī huc se conferre cœperint, & ingenia sua uimq; dicendi hoc ueritatis campo iactare maluerint, euanituras breui religiones falsas, & occasurā esse omnem philosophiam, nemo dubitauerit: si fuerit omnibus persuasum, tum hanc solam religionē, tum etiam & solam & ueram esse sapientiam. Sed euagatus sum longius, quam uolebam.

- C De iustitia, quam non modo philosophi, sed etiam poëtae, qui eos præcesserunt, totis quæsierunt uiribus: Et quomodo pro uero haberi debeat, non figmento poëtico, quod iustitia terras incolebat regnante Saturno, & aurea fuisse secula, sed Ioue regnante iustitiam esse fugatam. Cap. V



Vnc reddenda est de iustitia proposita disputatio: quæ aut ipsa summa est uirtus, aut fons est ipsa uirtutis: quam non modo philosophi quæsierunt, sed poëtae quoque, qui priores multo fuerunt, & ante natum philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Hi planè intellexerunt abesse hanc à rebus humanis: eamque sinxerunt offensam uitij hominum cessisse è terra, in cœlumque migrasse: atque ut docerent quid sit iuste uiuere (solent enim præcepta per ambages dare) à Saturni temporibus, quæ illi uocant aurea, repetunt exempla iustitiæ: narrantque in quo statu fuerit uita humana, dum illa in terra moraretur. Quod quidem non pro poëtica fictione, sed pro uero habendum est. Saturno enim regnante, nondum deorum cultibus institutis, nec adhuc ulla gente ad diuinitatis opinionem consecrata, deus utique colebatur. Et ideo non erant neque dissensiones, neque inimicitia, neque bella:

Iustitia sub Saturno in terris uersata.

Nondum uesanos rabies nudauerat enses:

Vt Germanicus Cæsar in Arato loquitur carmine:

Nec consanguineis fuerat discordia nata.

Immo nec alienigenis quidem, neque ulli omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præsentem ac uigentem iustitiam, aut de tutela sui, quum nemo insidiaretur, aut de pernitiæ alterius cogitaret, quum nemo quicquam concupisceret?

Malebant tenui contenti uiuere cultu,

- D Vt Cic. in suo ait Arato, quod est proprium nostræ religionis.

Ne signare quidem, aut partiri limite campum

Fas erat, in mediū quærebant. Quippe quum deus cōmunem omnibus terram dedisset, ut cōmunem degerent uitam: non ut rabida & furens avaritia sibi omnia uendicaret, nec ulli deesset, quod omnibus nasceretur. Quod poëta dictum sic accipi oportet, non ut existimemus nihil omnino tunc fuisse priuati, sed more poëtico figuratum, ut intelligamus tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent: nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communio-

†soli

nem proprij laboris admitterent.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Nec mirum, quum promptuaría iustorum benigne paterent omnibus: nec avaritia intercipientes beneficia diuina, famem sitimque uulgo faceret, sed omnes æqualiter abundarent: quum habentes non habentibus large copiosaque donarent. Sed postquam Saturnus à filio pulsus, in Latiumque delatus est,

Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis:

Quum iam populus uel noui regis metu, uel quia sponte deprauatus deum colere desisset, regemque pro deo habere cœpisset, quum ipse propemodum paricida exemplo cæteris esset ad uiolandam pietatem,

Deseruit prope terras iustissima uirgo.

Sed non, ut ait Cicero,

Et Iouis in regno, cœlique in parte resedit.

Quomodo enim poterat in eius regno residere aut cōmorari, qui patrem regno expulit, bello persecutus est, exulem toto orbe iactauit?

Ille malum uirus serpentibus addidit atris,

Prædareque lupos iussit. id est odiū, & inuidiā, & dolum hominibus iniecit, ut essent

A essent tanquam serpentes uenenati, tam rapaces quam lupi. Quod quidem uere faciunt hi, qui iustos ac fideles deo persequuntur, dantque iudicibus sauiendi aduersus innoxios potestatem. Fortasse aliquid eiusmodi Iupiter fecerit ad expugnamdam tollendamque iustitiam, & ideo efferasse serpentes, ac lupos acuisse traditur.

Tum belli rabies, & amor successit habendi.

Nec immerito: sublata enim dei religione, boni quoque ac mali scientiam perdidderunt: sic hominibus intercidit communitas uitae, & direptum est foedus societatis humanae. Tum inter se manus inserere coeperunt, & insidiari, & gloriam sibi ex humano sanguine comparare.

Quod cupiditas fons malorum omnium expulsa iustitia, suas, id est iniquissimas promulgauit leges:

Et quomodo sub Iouenaturae consortes seruituti subiecerit auidax, auara, ambitiosa, superba,

Et crudelis impietas hominum, et aureum expulit seculum, quod sola facit puritas

uer. e religionis.

Cap. VI



Quorum omnium malorum fons cupiditas erat: quae scilicet ex contemptu uerae maiestatis erupit: non tantum enim non participabant alijs rebus, quibus aliquid affluebat, sed aliena quoque rapiebant, in priuatum lucrum trahentes omnia: & quae antea in usus hominum etiam singuli laborabant, in paucorum domos conferebantur. Ut enim ceteros seruitio subiugarent, in primis necessaria uitae subducere & colligere coeperunt, eaque firmiter conclusa seruare, ut beneficia caelestia facerent sua: non propter humanitatem, quae nulla in ipsis erat, sed ut omnia cupiditatis & auaritiae instrumenta contraherent. Leges etiam sibi iustitiae nomine munitas iniquissimas iniustissimasque sanxerunt, quibus rapinas & auaritiam suam contra uim multitudinis tuerentur. Tantum igitur autoritate, quantum uiribus, aut opibus, aut auaritia praeualebant. Et quoniam nullum in his iustitiae uestigium fuit, cuius officia sunt humanitas, aequitas, misericordia, iam superba & tumida inaequalitate gaudebant, altioresque ceteris hominibus satellitum comitatu, & ferro & insigni ueste fulgebant. Hinc honores sibi, & purpuras, & fasces inuenerunt: ut securium gladiatorumque terrore subnixi, quasi iure dominorum perculsis ac pauentibus imperarent. In hac conditione humanam uitam rex ille constituit, qui debellato ac fugato parente, non regnum, sed impiam tyrannidem uis, & hominibus armatis occupauit, & aureum Iouis regnum. illud iustumque seculum sustulit, coegitque homines malos & impios fieri: uel ex hoc ipso, quod ipsos auertit a uertit a deo ad se adorandum: quod error insolentissimae potestatis expresserat. Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri & gladiatorum fulgor insuetus circumdabat: aut qui parceret alieno, qui ne patri suo quidem pepercerat: Quem uero metueret, qui Titanam robustam excellentemque uiribus gentem bello uicerat, occidione deleuerat: Quid mirum, si omnis multitudo insolito metu pressa, in unius adulationem concesserat: hunc uerebantur, huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores ac uicia regis imitari genus obsequij iudicabatur, abiecerunt omnes pietatem, ne exprobrare regi scelus uiderentur, si pie uiuerent. Sic assidua imitatione corrupti, diuinum fas reliquerunt, & paulatim male uiuendi consuetudo mos factus est. Nec iam quicquam ex antecedentis seculi pio atque optimo statu mansit: sed explosa iustitia, & ueritate secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, caecitatem. Imprudentes igitur poetae, qui eam ad coelum confugisse cecinerunt, id est ad Iouis regnum. Si enim seculo, quod uocatur aureum, iustitia in terra fuit, a Ioue utique pulsa est, qui aureum seculum commutauit. Seculi autem commutatio, & expulsio iustitiae, nihil aliud, ut dixi, quam desertio diuinae religionis putanda est: quae sola efficit, ut homo hominem

Charum habeat, eumque sibi fraternitatis uinculo sciat esse constrictum: siquidem pater idem & deus est omnibus, ut dei patris communis beneficia cum ijs, qui non habent, partiat: nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurem precanti, sed sit largus, beneficus, liberalis, quas regias esse laudes Tullius existimauit. Hæc est profectio iustitia, & hoc aureum seculum, quod loue regnante primum corruptum, mox & ipso & omni eius progenie consecrata, deorumque multorum cultu suscepto, fuerat omne sublatum.

De aduentu Christi aureum seculum restituentis in electis, id est ueram reformantis religionem: Et quod uirtus innotescat, & probetur exercitio uitiorum, ut liquidum sit, quare deus mala esse permiserit. Cap. VII



Ed deus, ut parens indulgentissimus, appropinquante ultimo tempore nuncium misit, qui uetus illud seculum, fugatamque iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis & perpetuis agigaretur erroribus. Redijt ergo species illius aurei temporis, & reddita quidem terræ, sed assignata paucis iustitia est: quæ nihil aliud est, quam dei unici pia & religiosa cultura. Sed moueat fortasse aliquem, cur si hæc sit iustitia, non omni humano generi sit data, nec in ea multitudo uniuersa cõsenserit. Magnæ hoc disputationis est, cur à deo, quæ iustitiam terræ daret, sit retenta diuersitas: quod & alio loco declarauit, & ubicunque opportune inciderit, explicabitur. Nunc designare id breuissime satis est, ut talem aut cerni non posse, nisi habeat uitia contraria: aut non esse perfectam, nisi exerceatur aduersis. Hanc enim deus bonorum & malorum uoluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono: nec alterius ratio intelligi sublato altero potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio uirtutis cõstare posset. Quomodo enim patientia uim suam, nomenque retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur deuota deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à deo uellet auertere? Nam & ideo potentiores esse iniustos permisit, ut cogere ad malum possent: ideo plures, ut uirtus esset preciosa, quod rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breuiter ostendit in capite obuoluto. Nam quæ, inquit, uirtus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic comparatum est, ut odium, cupiditas, ira, in id quod incubuerint agant cæcos, supra hominem uidetur culpa uacare. Alioqui si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. Hoc quam uerum sit, doceat necessitas ipsa rationis. Si enim uirtus est, malis ac uitijs fortiter repugnare, apparet sine malo ac uitio nullam esse uirtutem: quam deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit illud, quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus, stabilitatem capit, & quanto frequentius impellitur, tanto firmius roboratur. Hæc nimirum causa effecit, ut quamuis sit hominibus missa iustitia, tamen aureum seculum non esse dicatur, quia malum non sustulit, ut retineret diuersitatem, quæ sacramentum diuinæ religionis continet sola.

Quare iustitia, quæ in propatulo est, non uideatur ab hominibus: & quod homo dei templum est, non aurum, nec lapides: Et quod deus uirtutibus colendus est, non corruptilibus donis: Et quod omnia mala ex eo proueniunt, quod plures dii coluntur: quia si unus solus uere coleretur, omnes iura fraternitatis agnoscerent, & exercerent. Cap. VIII



Vi ergo putant iustum esse neminem, ante oculos habent iustitiam, sed eam nolunt cernere. Quid est enim cur illam uel in carminibus, uel in omni sermone describant, cõquerentes eius absentiam, quæ sit facilimum bonos esse, si uelint? Quid uobis inanem iustitiã depingitis, & optatis

Virtus in aduersis perficitur. Bonum ex malo intelligitur.

D

A optatis cadere de cœlo tanquam in aliquo simulacro figuratam: Ecce in conspectu uestro est: suscipite, si potestis, eamq̄ in domicilio uestri pectoris constituite. Nec difficile, nec alienum à temporibus existimetis. Estote æqui ac boni, & sequetur uos sua sponte iustitia, quam quæritis. Deponite omnē malam cogitationem de cordibus uestris, & statim uobis illud tempus aureum reuertetur: quod aliter consequi non potestis, quàm si uerum deum colere cœperitis. Vos autem manente cultu deorū, iustitiam desideratis in terra, quod fieri nullo pacto potest: sed nentum quidem potuit, quū putatis: quia nondum natis dijs istis, quos impie colitis, necesse est unius dei cultum fuisse per terrā, eius scilicet qui execratur malitiam, exigitq̄ bonitatem: cuius templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram dei gestat: Quod templum non auro, & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis uirtutum muneribus ornatur. Discite igitur (si quid uobis reliquæ mentis est) homines ideo malos & iniustos esse, quia dii coluntur: & ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescere, quia deus huius mundi effector & gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt cōtra quàm fas est impiæ religiones. Postremo, quia ne colī quidem uel à paucis deum sinitis. Quod si solus deus coleretur, non essent dissensiones & bella, quum scirent homines se unius dei filios esse, ideoq̄ diuinæ necessitudinis sacro, & inuiolabili uinculo copulatos. Nullæ fierent insidiæ, quū scirent cuiusmodi pœnas deus animarum interfectoribus præparet, qui clandestina scelera, & ipsas etiam cogitationes præuidet. Non essent fraudes neq̄ rapinæ, si deo præcipiente didicissent, & suo & paruo esse contenti: ut fragilibus & caducis, solida & æterna præferrent. Non essent adulteria, & mulierū prostitutiones, & stupra, si esset notum omnibus damnari à deo, quicquid appetitur ultra generandi cupiditatem. Nec fœminā necessitas cogeret pudorem suum profanare, ut uictum sibi obscœnissimum quærat, quū & mares libidinem contemnerent, & habentium pia & religiosa collatio non habentibus subueniret. Non essent igitur (ut dixi) hæc omnia in terris mala, si ab hominibus in legem dei coniuraretur: si ab uniuersis fierent, quæ unus noster populus operatur: quàm beatus esset, quamq̄ aureus humanarum rerum status, si per totum orbem mansuetudo, & pietas, & pax, & innocentia, & æquitas, & tēperantia, & fides moraretur. Deniq̄ ad regendos homines non opus esset tam multis, & tam uarijs legibus, quū ad perfectā innocentiam dei lex una sufficeret: neq̄ carceribus, neq̄ gladijs præsidū, neq̄ terrore pœnarū, quū præceptorū cœlestiū salubritas humanis pectoribus infusa, ultro ad iustitiæ opera homines erudiret. Nunc autē mali homines sunt ignorantia recti ac boni: quod quidē Cicero uidit. Disputans enim de legibus: Sicut una, inquit, eademq̄ natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret ac nititur: sic omnes homines inter se natura confusi, prauitate dissentiant: nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam eandemq̄ tutelam: quod si teneretur, deorum profectō uita homines uiuerent. Vniuersa igitur mala, quibus humanū genus seipsum inuicē conficit, iniustus atq̄ impius deorū cultus induxit. Nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omnium patrem deum, tanquā prodigi ac rebelles liberi abnegassent.

Deorum cultus mala rebus humanis inuenit.

C Quod iniqui iustitiam, quam sibi abesse sentiunt, omnibus abesse putant, & in eos qui iustiores & innocentissimi sunt, atrocius saeviunt, id est in seruos Christi, mensuram patrum implentes, qui caput omnium iustorum Christum occiderunt, eo quod dissimilitudo uitae criminosa sitiat sanguinem innocentium. Cap. IX



Onnunq̄ tamen sentiunt se malos esse, & ueterū seculorū statum laudant, & de moribus suis meritisq̄ coniectant abesse iustitiam, quam obuersantem oculis suis non tantum non suscipiunt, nec agnoscunt, uerumetiam uiolenter oderunt, & persequuntur, & exterminare contendunt. Fingamus hanc interim non esse iustitiam, quam nos sequimur, quomodo, si illa uenerit, quam ueram putant, eam recipient: qui laniant & occidunt eos, quos & ipsi fatentur imitatores esse iustorū, quia bona operantur & iusta: quum si tantummodo malos occiderent, digni essent, ad quos iustitia nō ueniret, cui nulla fuit alia causa linquendi terram, quam humani cruoris effusio. Quanto magis, quum pios interficiant, & ipsos iustitiae sectatores pro hostibus ducant: imō uero plus quam pro hostibus, quibus utiq̄ quā animas eorum, & opes, & liberos ferro & igni appetant, tamen parcitur uictis, & est locus inter arma clementiae. Aut si adeo saeuire placuit, nihil plus in eos fit, quam ut occidantur, uel in seruitutē adducantur. Hoc uero inenarrabile est, quod fit aduersus eos, qui malefacere nesciunt. Et nulli nocentiores habent, quam qui sunt ex omnibus innocentes. Audent igitur homines improbissimi iustitiae facere mentionē, qui feras immanitate uincunt: qui placidissimū dei gregē uastant, ceu lupi rapaces atra in nebula, quos improba uentris Exegit caecos rabies. Verum hos non uentris, sed cordis rabies efferauit: nec atra nebula, sed aperta praedatione grassantur: nec eos unquā conscientia scelerū reuocat, ne sanctum ac pium nomen iustitiae ore illo uiolent, quod cruore innocentium, tanquā rictus bestiarum madent. Huius tanti & tam pertinacis odij quam potissimum causam esse dicamus: Vtrum ne ueritas odium pariat, ut ait poeta, quasi diuino spiritu instructus: an erubescūt corā iustis & bonis esse nequā, an potius utrunq̄? Nam & ueritas ideo semper inuisa est, quod is qui peccat, uult habere liberū peccandi locū: nec aliter se putat malefactorū uoluptate securius perfrui posse, quam si nemo sit, cui delicta nō placeant. Ergo tanquā scelerum & malitiae suae testes extirpare funditus nituntur & tollere: grauesq̄ sibi putant, tanquam uita eorū coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestiue boni, qui corruptis moribus publicis, conuiciū bene uiuendo faciunt? Cur non omnes sint aequae mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulentī? quin potius auferantur, quos coram male uiuere pudet, qui peccantium fontem, & si non uerbis, quia tacent, tamen ipso genere uitae dissimili feriunt & uerberant? Castigare enim uidetur quicūq̄ dissentit. Nec est magnopere mirandū, si aduersus homines ista fiunt, quū aduersus ipsum deum propter eandē causam insurrexerit etiā populus in spe cōstitutus, nec dei nescius: sequiturq̄ iustos eadē necessitas, quae ipsum iustitiae uiolauit autorē. Vexāt ergo, & exquisitis poenarū generibus excruciant: parumq̄ habent interficere quos oderūt, nisi etiam crudelitas corporibus illudat. Si qui autē doloris, uel mortis metus, uel suapte perfidia caeleste sacramentū deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, & honoribus maciant, ut eorum exemplo ceteros illiciant. Qui autem magni existimauerint fidem, cultoresq̄ se dei non abnegauerint, in eos uero totis carnificinae suae uiribus, ueluti sanguinem sitiant, incumbunt, & desperatos uocant: quia corpori suo minime parcūt, quasi quicquam desperatius esse possit, quam torquere ac dilaniare eum, quem scias innocentem. Adeo uero nec pudor ullus apud eos superest, à quibus abest

A abest omnis humanitas, & detorquent in homines iustos cōiūcia sibi congruentia. Impios enim uocant ipsi scilicet pij, & ab humano sanguine abhorrentes: quū si & actus suos considerent, & illorum quos tanquam impios damnant, iam intellegant quā mendaces sint, & ijs omnibus, quæ aduersus bonos aut dicunt aut faciunt, digniores. Non enim de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui uias obsideant armati, maria prædentur: uel si palām grassari non licuit, uenena clam temperent: qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur: aut maritos, ut adulteris nubant: qui natos ex se pueros aut strangulēt, aut si nimum pij fuerint, exponant: qui libidines incestas nec à filia, nec à sorore, nec à matre, nec à sacerdote contineant: qui aduersus ciues suos patriamq; coniurent: qui neq; euleum timeant: qui deniq; sacrilegia cōmittant, & deorū, quos colunt, templa dispolient: & ut quæ leuia sunt atq; usitata dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant, iustos hæredes uel auferant, uel excludant: qui corpora sua libidinibus prostituāt: qui deniq; immemores quod nati sunt, cum sceminis patientia certent: qui sanctissimā quoq; corporis sui partē contra fas omne polluant, & profanent: qui uirilīa sua ferro metant: & quod est sceleratius, ut sint religionis antistites, qui nec uitæ quidem suæ parcant, sed extinguendas publice animas uendant: qui si iudices sedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impune dimittant: qui coelū quoq; ipsum ueneficijs appetant, tanq; eorum malitiā terra non capiat. Hæc inquā, & his plura scelera utiq; ab ijs fiunt, qui deos colunt. Quis inter hæc tot & tanta iustitiæ locus est? Et ego de multis pauca collegi: non ut arguerē, sed ut ostenderē. Qui uolēt scire omnia, Senecæ libros in manus sumāt, qui morū uitiorumq; publicorū & descriptor uerissimus, & accusator acerrimus fuit.

Nefaria gentium flagitia.

B Sed et Lucillius tenebrosam istā uitā circūscripter beuiterq; depinxit his uersibus:

Nunc uero à mane ad noctem, festo atq; profesto,
Totus item pariterq; dies, populusq; patresq;
lactare, inde foro omnes, & decedere nusquam.
Vni se, atq; eidem studio omnes dedere, & arti.
Verba dare, ut caute possint pugnare, dolose
Blanditiā certare, bonum simulare uirum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Nostro autem populo quid horū potest obijci, cuius omnis religio est sine scelere, ac sine macula uiuere? Quū igitur uideant se ac suos, ea quæ diximus gerere, nostros autem nihil aliud operari, nisi æquum & bonum, poterant (si quid scirent) ex hoc intelligere & illos, qui bonum faciunt, pios esse, & se impios, qui nefanda cōmittunt. Neq; enim fieri potest, ut qui in omnibus uitæ suæ actibus nō errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione, quæ rerū omnium caput est. Impietas enim suscepta in eo quod est summum, per cætera uniuersa frequentat: eoq; fieri nō potest, ut ipsi qui errant in omni uita, nō etiam in religione fallantur: quoniam pietas in summo regulam tenens, tenorē suum seruat & in cæteris. Ita fit in utraq; parte, de conditione rerum, quæ geruntur, qualis sit summa ipsa noscatur.

De impia iniquorum, qui deum nesciunt, pietate: Et quid, & ubi sit uera pietas, quam deorum cultores assequi nequeunt propter subiectas causas. Cap. X



Per apæcium est cognoscere illorum pietatem, ut ex ijs, quæ clementer ac pie faciunt, possint intelligi qualia sint, quæ ab his contra iura pietatis geruntur. At ne quem uidear inclementer incessere, aliquam mihi personā poëticam sumā, quæ sit uel maximū pietatis exemplum,

c Apud Maronem rex ille, Quo iustior alter

Nec pietate fuit, nec bello maior & armis:

Quæ nobis documenta iustitiæ protulit:

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris,

Inferias caelo sparsuros sanguine flammæ.

Quid potest esse hac pietate dementius, quàm mortuis humanas uictimas immolare: & ignem cruore hominũ tanquam oleo pascere? Sed fortasse hoc non ipsius uitium fuerit, sed poëtæ, qui insignem pietate uirum, insigni scelere foedauit. Vbi est ergo, poëta, illa pietas, quam sæpissime laudas?

Ecce pius Aeneas, Sulmone creatos

Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfers,

Viuentes rapit inferias, quos imolet umbris,

Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammæ.

Cur ergo dicebat eodem ipso tempore, quo uinctos ipsos homines ad immolationem mittebat, Equidem & uiuis concedere uellem: quũ quos uiuos habebat in potestate, uice pecudum iuberet occidi? Sed hæc (ut dixi) culpa non illius fuit, qui literas fortasse non didicerat, sed tua: qui quũ esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas: & illud ipsum, quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credisti: uidelicet ob hoc unum pius uocatur, quia patrem dilexit. Quid quod bonus Aeneas haud aspernanda precætes trucidauit: adiuratus enim per eundem patrem, & spem surgentis Iulii, nequaquam perpercit furij accensus & ira. Quisquam ne igitur putet hunc aliquid in se uirtutis habuisse, qui & furore tanquam stipula exarserit: & manium patris, per quem rogabatur, oblitus,

D iram frenare non quauerit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnans, sed etiam precantes interemit. Dicit hic aliquis: Quæ igitur, aut ubi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omni ui seruant, qui amici sunt etiam inimicis, qui omnes homines pro fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt, omnemq; animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quantã tenebrarũ & errorũ nubes hominum peccata obduxit: qui quũ se maxime pios putant, tum maxime fiunt impij. Quanto enim religiosius terrenis istis simulacris seruiunt, tanto magis scelerati aduersum nomen diuinitatis ueræ existunt. Itaq; pro merito impietatis suæ grauioribus malis sæpe uexantur: quorũ causam quia nesciunt, Fortunæ culpa omnis ascribitur: & locum inuenit Epicuri philosophia, nihil ad deos pertinere censentis: nec gratia eos tangi, nec ira moueri: quia & contemptores eorum sæpe uideant beatos, & cultores sæpe miseros. Quod eo fit, quia quũ religiosi uideantur, & natura boni, nihil tale creduntur mereri, quale sæpe patiuntur. Consolantur se tamen accusatione fortunæ: nec sentiunt, quod si esset ulla, cultoribus suis nunquam noceret. Merito igitur huiusmodi pietatem pœna consequitur: & offensa diuinitas scelere hominum prae religioforum, graui eos infortunio maculat: qui licet sanctis moribus uiuant summa fide atque innocentia, tamen quia deos colunt, quorum ritus impios ac profanos deus uerus odio habet, à iustitia, & à nomine ueræ pietatis alieni sunt. Nec est difficile docere, cur deorum cultores boni & iusti esse nõ possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos deos, Martem, atq; Bellonam: Quomodo autem parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Iouem: aut natis ex se infantibus, qui colunt Saturnũ? Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam & adulteram, & quasi apud deos prostitutam? Quomodo se à rapinis & fraudibus abstinebunt, qui Mercurij furta nouerunt,

docentis

Apud quos sit
pietas uera.

A docentis non fraudis esse decipere, sed astutiæ: Quomodo libidines coëcebunt, qui Iouem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæterosq; uenerantur, quorū adulteria & supra in mares & fœminas non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris atq; cantantur, ut sint omnibus notiora: Possunt ne inter hæc iusti esse homines, qui etiam si natura sint boni, ab ipsis tamen dijs erudiantur ad iniustitiam: Ad placandū enim deum, quem colas, ijs rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit, ut uitam colentiū deus pro qualitate numinis sui formet: quoniam religiofissimum est cultus imitari.

Quod persecutores Christianorum non modo bestiae fuerint, sed ipsi bestijs brutiores & truciores. Quibus, & quare tormentis martyres afficiant. Cap. XI



Igitur hominibus, qui deorum suorum moribus congruunt, quia grauis est & acerba iustitia, eandem impietatem suam, qua in cæteris rebus utuntur, aduersus iustos uiolenter exercent. Nec immerito à prophetis bestiae nominantur. Præclare itaq; M. Tullius: Etenim si nemo est, inquit, qui mori malit, quam cōuertī in aliquam figuram bestiae, quamuis mentem hominis habiturus: quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato: mihi quidē tanto uidetur, quanto est præstabilius animus corpore. Aspernantur itaque corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæuiores: sibiq; adeo placent, quod homines sint nati, quorum nihil nisi lineamenta & summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unq; aluit: Quoniam ferarum omnium rabies usq; ad uentris satietatem furit, fameq; sedata protinus cōquiescit. Illa est uera bestia, cuius una iussione funditur ater ubiq; cruor, crudelis ubiq; luctus, ubique pauor, & plurima mortis imago. Nemo huius tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans tamen per totū orbem dentibus ferreis sæuit, & non tantū artus hominū dissipat, sed & ossa ipsa cōminuit & in cineres fundit, ne quis extet sepulturæ locus: quasi uero id affectent, qui deum cōfitentur, ut ad eorum sepulchra ueniatur, ac nō ut ipsi ad eum perueniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insaniam est, lucē uiuis, terram mortuis denegasse: Dico igitur nihil esse miserius ijs hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ iussione necessitas aut inuenit aut fecit: Nō enim honor ille aut prouectio dignitatis fuit, sed hominis dānatio ad carnificinā, dei uero ad pœnam sempiternā. Quæ autem per totū orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim uoluminū numerus capiet tam infinita, tam uaria genera crudelitatis: Accepta enim potestate, pro suis moribus quisq; sæuit: alij præ nimia tumiditate plus ausi sunt, q̄ iubebant: alij suo proprio aduersum iustos odio, quidam naturalī mentis feritate, nōnulli ut placerent, & hoc officio uiam sibi ad altiora munirent: alij ad occidendū præcipientes extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui uniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremauit. Sed hic quanto sæuior, tanto clementior inuenitur. Illud uero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur: ille sæuior, ille grauior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaq; dici non potest, huiusmodi iudices quanta & quā grauiā tormentorum genera excogitauerint, ut ad effectū propositi sui peruenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentū peremisse (nam & ipse audiui aliquos gloriātes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta) sed inuidiæ causa, ne aut ipsi uincantur, aut illi uirtutis suæ gloriā consequantur. Itaq; in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quam uictoriā cogitant. Sciunt enim certamen illud esse & pugnam. Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum gentem aliquā subegisset, quod

Sæuitia tormentorum in Christianos.

Cunus qui per biennium magna uirtute restiterat, postremo cedere uisus est. Con- tendunt igitur ut uincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt: & nihil aliud euitant, quam ut ne torti moriantur: quasi uero mors tantum nos beatos faciat, ac etiam non tormenta quanto fuerint grauiora, tanto maiorem uirtutis gloriam pa- riant. Illi autem pertinaci stultitia iubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renouentur, & reparetur nouus sanguis ad poenam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest: non curassent tam solícite quos ama- rent. Haec est deorum disciplina: ad haec opera cultores suos erudiunt, haec sacra desi- derant. Quinetiam sceleratissimi homicidae contra pios impia iura condiderunt: nam & constitutiones sacrilegae, & disputationes iuris peritorum leguntur iniustae. Domi- tius de officio proconsulis libro septimo, rescripta principum nefaria collegit, ut do- ceret quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores dei confiterentur.

Quomodo ipsi carnificibus grati facti sunt, qui diligunt inimicos: Et quod expetibilis est esse bo- num, & malum putari, quam malum esse & uideri bonum. Cap. XII



Videte facias, qui ius uocant carnificinas ueterum tyrannorum aduer- sus innocentes rabide saeuientium: Et quum sint iniustitiae crudelita- tisque doctores, iustos esse se tamen ac prudentes uideri uolunt, caeci, & hebetes, ac rerum & ueritatis ignari. Adeone uobis o perditae mentes in- uisa iustitia est, ut eam summis sceleribus adaequetis? Adeone apud uos perit inno- centia, ut ne morte quidem simplici dignam iudicetis? Sed supra omnia facinora ha- beatur, nullum facinus admittere, pectusque purum ab omni sceleris contagione praestare. Et quoniam communiter cum deorum cultoribus loquimur, liceat per uos benefacere nobiscum. Haec est enim lex nostra, hoc opus, haec religio. Si uobis sa- pientes uidemur, imitamini: si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet: nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis? quid affligitis? non inuidemus sapientiae uestrae. Hanc stultitiam malumus, hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedi- re, ut uos diligamus: & in uos ipsos, qui odistis, omnia conferamus. Est apud Cicero- nem non abhorrens a uero locus in ea disputatione, quae habetur a Furio contra iu- stitiam: Quare, inquit, si duo sint, quorum alter optimus uir, acquissimus, summa iustitia, singulari fide: alter insigni scelere & audacia: & si in eo sit errore ciuitas, ut bonum illum uirum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet: contra autem, qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide: proque hac opinione omnium ciuium bonus ille uir uexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, uinciatur, uratur, exterminetur, egeat: postremo iure etiam opti- mo omnibus miserrimus esse uideatur: Contra autem ille improbus laudet, colat- ur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiae conferantur, uir denique optimus omnium aestimatione, & di- gnissimus omni fortuna iudicetur. Quis tandem erit tam demens, qui dubitet utrum se esse malit? Profecto quasi diuinaret, quae nobis mala, & quomodo euentura es- sent propter iustitiam, hoc posuit exemplum. Haec enim populus noster patitur omnia, errantium prauitate. Ecce in eo est errore ciuitas, uel potius orbis ipse totus, ut bonos & iustos uiros tanquam malos & impios persequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait neminem esse tam dementem, qui dubitet utrum se esse ma- lit: Ille quidem, ut is qui contra iustitiam diserebat, hoc sensit: malo sapientem malum esse cum bona aestimatione, quam bonum cum mala. A nobis autem absit haec amen- tia, ut falsum uero anteponamus. An boni nostri qualitas ex populi potius pende- bit erroribus, quam ex conscientia nostra, & iudicio dei? Aut aliqua nos felicitas illiciet unquam, ut non potius ueram bonitatem, cum omni malo, quam falsum, cum

omni

A omni prosperitate malimus: Sua sibi habeant regna reges, suas diuitias diuites (ut loquitur Plautus) suam uero prudentiam prudentes: relinquunt nobis stultitiam nostram, quam uel ex hoc apparet esse sapientiam, quod eam nobis inuidet. Quis enim stulto inuideat, nisi qui ipse sit stultissimus? Illi autem non adeo sunt stulti, ut stultis inuideant: sed ex eo quod accurate, quod solcite persequuntur, stultos non esse concedunt: cur enim tam crudeliter sauiunt, nisi quia metuunt, ne indies inualecente iustitia, cum dijs suis (quos Narinosos appellant, quod odoribus thuris colantur) † Narinosos relinquuntur? Si ergo cultores deorum sapientes sunt, nos ^{tuaricosis} stulti, quid metuunt ne sapientes illiciantur a stultis?

Quod ex eo patet iustitia Christianae religionis, & ueritas fidei, quod de cultoribus deorum crescit ecclesia: sed de ecclesia nec minis, nec tormentis compelli possint ad cultum deorum: licet quidam sacrificasse ex infirmitate legantur inuiti, qui tamen postea per poenitentiam, in quo Nouatianus confutatur, surrexerunt fortiores: Et quod patientia martyrum solidissimum est Christianae religionis fundamentum. Cap. XIII



Quum autem noster numerus semper de deorum cultoribus augeatur, nunquam uero, ne in ipsa quidem persecutione minuatur: quoniam peccare homines, & inquinari sacrificio possunt, auerti autem a deo non possunt (ualet enim uis sua ueritas) quis est tam excors, tamque caecus, qui non uideat, quae in utraque sit parte sapientia? Sed illi malitia & furore caecantur, ne uideant: stultosque arbitrantur esse, qui quum habeant in sua potestate supplicia uitare, cruciari tamen & mori malunt: quum possint ex eo ipso prouidere non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una & pari mente consentiunt. Si enim foeminae sexus infirmitate labuntur (nam interdum isti muliebrem & anilem superstitionem uocant) uiri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per aetatem, maturi certe ac senes habent stabile iudicium. Si una ciuitas desipit, caeterae utique innumerabiles stultae esse non possunt. Si una prouincia, una natio prouidentia caret, caeteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Quum uero ab ortu solis usque ad occasum lex diuina suscepta sit: & omnis sexus, omnis aetas, & gens, & regio unis ac paribus animis deo seruiant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant, aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur: aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniurijs ac uexatione non soluat, sed augeat semper & faciat firmiterem. Nam & in hoc quoque illorum malitia conuincitur, qui euerisse se funditus religionem dei opinantur, si homines inquinauerint, quum & deo satisfacere liceat, & nullus sit tam malus dei cultor, quin data facultate, ad placandum deum reuertatur, & quidem deuotione maiori. Peccati enim conscientia, & metus poenae religiosior rem facit: & semper multo firmiter fides, quam reponit poenitentia. Si ergo ipsi, quum deos arbitrantur sibi iratos, tamen donis & sacrificijs & odoribus placare eos credunt: quid est tandem quod deum nostrum tam immitem, tam implacabilem putent, ut uideatur is iam Christianus esse non posse, qui dijs eorum coactus inuitusque libauerit? nisi forte contaminatos semel putant animos translaturus, ut sua sponte facere incipiant, quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens subeat, quod ab iniuria coepit? Quis quum uideat laterum suorum cicatrices, non magis oderit deos, propter quos aeterna poenarum insignia, & impressas uisceribus suis notas gestet? Ita fit, ut data diuinitus pace, & qui fuerunt uniuersi redeant: & alius propter miraculum uirtutis nouus populus accedat. Nam quum uideat uulgus dilacerari homines uarijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseuerantiam

Fides ex poenitentia firmiter.

C morientium uanam esse, nec ipsam patientiam sine deo cruciatus tantos posse superare. Latrones & robusti corporis uiri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt: uincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de uiris taceam, pueri & mulierculæ tortores suos tacite uincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, & Mutio gloriantur, & Regulo: quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captiuum puduit uiuere: alter ab hostibus deprehensus, quum uideret se mortem uitare non posse, manum foco iniecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem uoluit occidere: eaque poena ueniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus foemineus & fragilis aetas dilacerari se toto corpore, uirique perpetitur: non necessitate, quia licet uitare, si uellent: sed uoluntate, quia confidunt in deo.

De uera uirtute Christianorum, qui in culmine patientiæ constituti, philosophos laudatores patientiæ antecedunt uirtute patiendi: Et quod uanum & stultum est imaginatam terram, ut deum colere. Cap. XIII



Ed hæc est uera uirtus, quam philosophi quoque gloriabundi non re, sed uerbis inanibus iactant: differentes nihil esse tam congruens uiri sapientis grauitati atque constantiæ, quam nullis terroribus de sententiâ & proposito posse depelli: sed tantum esse cruciari & mori, ne fidem prodant, ne ab officio discedant, ne metu mortis, aut dolore acerbo subacti, aliquid faciat iniustum: nisi forte delirare illi uideatur Flaccus in Lyricis, quum dicit:

Iustum & tenacem propositi uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni

D *Mente quatit solida.*

Quo nihil uerius dici potest, si hoc ad eos referat, qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne a fide iustitiæque declinent: qui non tyrannicas iussiones, non praesidium gladios tremunt, quo minus ueram & solidam libertatem constanti mente defendant, quæ in hoc solo tuenda sapientia est. Quis enim tam insolens, tam elatus est, qui me uetet oculos in caelum tollere? Quis imponat mihi necessitatem uel colendi quod nolim, uel quod uelim non colendi? Quid nobis iam ulterius relinquatur, si etiam hoc quod uoluntate fieri oportet, libido extorqueat aliena? Nemo istud efficiet, si quid nobis ad contemnendam mortem doloremque uirtutis est. Quam constantiam si tenemus, cur stulti iudicamur, facientes ea quæ philosophi laudant? Recte igitur Seneca incongruentiam hominibus obiectans ait: Summa uirtus illis uidetur magnus animus. Et idem: Eum, qui contemnit mortem, pro furioso habent: quod est utique summæ peruersitatis. Sed ij uanarum religionum cultores eadem stultitia id obijciunt: quia uerum deum non intelligunt, quos Sibylla Erythræα κωφὸς ἢ ἀνοῦγος uocat, surdos scilicet & excordes: qui nec audiant diuina, nec sentiant, sed terram digitis suis imaginatam metuunt & adorent.

Quare sapientes habentur pro stultis: & quomodo in duabus præcipue uirtutibus, pietate scilicet & æquitate, iustitia constet: & quid pietas secundum Trimegistum, & quid æquitas secundum Ciceronem: quarum neutram assequi potuerunt Romani, uel Græci, nec aliqui, nisi Christiani. Cap. XV



Væ uero causa sit, ut eos, qui sapientes sunt, stultos putent, magna ratio est: nec enim frustra falluntur: quæ nobis diligenter est explicanda, ut errores suos tandem (si fieri potest) agnoscant. Iustitia suapte natura speciem quædam stultitiæ habet: quod ego & diuinis & humanis testimonijs confirmare possum, Sed nihil fortasse apud istos agemus, nisi eos de suis doceamus

A ceamus autoribus, non posse iustū quenq̄ esse, quod est coniunctū cum uera religione aut sapientia, nisi stultus esse uideat̄. Carneades Academicæ sectæ philosophus, cuius in differēdo quæ uis fuerit, quæ eloquētia, quod acumen, qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucillij: apud quem differens Neptunus de re difficilima, ostēdit nō posse id explicari, nec si Carneadē ipsum Orcus remittat. Is quum legatus ab Atheniensibus Romā missus esset, disputauit de iustitia copiose, audiente Galba, & Catone censoribus, maximis tunc oratoribus. Sed disputationem suam postridie cōtraria disputatione subuertit, & iustitiam, quam pridie laudauerat, sustulit: nō quidem philosophi grauitate, cuius firma & stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitij genere in utranq̄ partē differēdi. Quod ille facere solebat, ut alios quodlibet asserentes posset refutare. Eam disputationē, qua iustitia subuertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur. Credo quoniā de Rep. differebat, ut defensionē laudationemq̄ eius induceret, sine qua putabat regi nō posse Remp. Carneades autem, ut Aristotelē refelleret ac Platonē, iustitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro iustitia dicebātur, ut posset illa, sicut fecit, euertere. Erat enim facilimū iustitiam radices non habentem labefactari, ut diceret inaniter laborari: quia tum nulla in terra fuit, ut quid esset, aut qualis, à philosophis terneret̄: Atq̄ utinā tot ac tales uiri quantū eloquentiæ, quantum animi, tantū etiam scientiæ ad implendam defensionem summæ uirtutis habuissent: cuius origo in religionē, ratio in æquitate est. Sed ij, qui primam illam partem nescierūt, ne secundā quidem tenere potuerunt. Volo autem prius circumscripte ac breuiter quid sit ostendere, ut intelligat̄ philosophos ignorasse iustitiā: nec id, quod minime nouerant, potuisse defendere. Iustitia quamuis omnes simul

B uirtutes amplectatur, tamen duæ sunt omniū principales, quæ ab illa diuelli separariq̄ nō possunt, pietas, & æquitas. Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas, & cæteræ huiusmodi, uel natura uel institutis parentum possunt inesse iisdem hominibus, qui iustitiā nesciūt, sicuti semper fuerunt. Nam Romani ueteres, qui iustitia gloriari solebant, ijs utiq̄ uirtutibus gloriabant̄, quæ (ut dixi) proficisci à iustitia possunt, & ab ipso fonte secerni. Pietas uero & æquitas quasi uenæ sunt eius: his enim duobus fontibus cōstat tota iustitia. Sed caput eius & origo in illo primo est: in secūdo uis omnis ac ratio. Pietas autē nihil aliud est quàm dei nōtio, sicut Trismegistus uerissime definiuit, ut alio loco diximus. Si ergo pietas est cognoscere deum, cuius cognitionis summa est, ut eum colas: ignorat utiq̄ iustitiam, qui religionē dei non tenet. Quomodo enim potest eam ipsam nosse, qui unde oriatur ignorat? Plato quidem multa de uno deo locutus est, à quo ait constitutum esse mundū: sed nihil de religione: somniauerat enim deum, non cognouerat: quod si iustitiæ defensionem uel ipse, uel quilibet alius implere uoluisset, in primis deorū religiones euertere debuit: quia cōtrariæ sunt pietati. Quod quidem Socrates quia facere tentauit, in carcerem cōiectus est: ut iam tunc appareret, quid esset futurū ijs hominibus, qui iustitiam ueram defendere, deoq̄ singulari seruire cœpissent. Altera igit̄ iustitiæ pars est æquitas: æquitatē nō dico utiq̄ bene iudicādi, quod & ipsum laudabile est in homine iusto: sed se cū cæteris cōæquādi, quā Cicerō æqualitatē uocat. Deus enim, qui homines generat, & inspirat, omnes æquos, id est pares esse uoluit. Eandē conditionē uiuendi omnibus posuit, omnes ad sapientiā genuit, omnibus immortalitatē spondit. Nemo enim à beneficijs eius cœlestibus segregat̄. Nam sicut omnibus unicū suum lumen æqualiter diuidit, emit̄ omnibus fontes, uictum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit, sic omnibus æquitatē uirtutemq̄ largitur. Nemo apud eum seruus est,

Carneadis philosophi eloquentia.

dicere

Iustitiæ partes.

Pietas.

Æquitas.

Cnus. Si enim cūctis idem pater est, æquo iure omnes liberi sumus. Nemo deo pauper est, nisi qui iustitiā indiget: nemo diues, nisi qui uirtutibus plenus est: nemo deniq; egregius, nisi qui bonus & innocēs fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus uirtutis impleuerit. Quare neq; Romani, neq; Græci iustitiā tenere potuerūt: quia disparēs multis gradibus homines habuerūt, à pauperibus ad diuites, ab humilibus ad potentes, à priuatis deniq; usq; ad regum sublimissimas potestates. Vbi enim non sunt uniuersi pares, æquitas nō est, & excludit inæqualitas ipsa iustitiā, cuius uis omnis in eo est, ut pares faciat eos, qui ad huius uitæ cōditionē pari sorte uenerūt.

De æquitate Christianorū, quā philosophi nō habentes nec inuenire, nec defendere potuerūt. Cap. XVI



Dvobus igitur illis iustitiæ fontibus immutatis, omnis uirtus, & omnis ueritas tollitur, & ipsa iustitiā remigrat in cœlum. Ideo nō est uerum illud bonum à philosophis reperiūt: quia ignorabāt, uel unde oriretur, uel quid efficeret: quod nullis alijs, præterquam nostro populo reuelatum est. Dicit aliquis: Nōne sunt apud uos alij pauperes, alij diuites, alij serui, alij domini, nōne aliquid inter singulos interest? Nihil: nec alia causa est, cur nobis inuicem fratrum nomē impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus: nam quum omnia humana nō corpore, sed spiritu metiamur, tamen corporū sit diuersa cōditio, nobis tamen serui non sunt, sed eos & habemus, & dicimus spiritu fratres, religione cōseruos. Diuitiæ quoq; non faciūt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. Diuites sunt enim, nō qui diuitias habēt, sed qui utunt illis ad opera iustitiæ. Et qui pauperes uident, eo tamen diuites sunt, quia & egent, & concupiscunt nihil. Quū igitur & liberi seruis, & diuites pauperibus, humilitate animi pares simus, apud deum tamen uirtute discernimur. Tanto quisque sublimior est, quanto iustior. Si enim iustitiā est, quasi parem se etiam minoribus facere, quanq; hoc ipso præcellat, quod se inferioribus cœquauit: tamen si nō tantū quasi parem, sed etiam quasi minorem se gesserit, utiq; multo altiore dignitatis gradū deo iudice consequetur. Nam profectō in hac seculari uita, quoniam breuiā & caduca sunt omnia, & præferunt se alteris homines, & de dignitate contendunt: quo nihil foediū, nihil arrogātius, & nihil à sapientis ratione semotius: rebus enim cœlestibus contraria sunt ista uniuersa terrena. Sicut enim sapientia hominum summa stultitia est apud deū, stultitia autē (ut docui) summa sapientia est: sic deo humilis & abiectus est, qui fuerit cōspiciuus & sublimis in terra. Nam ut taceam, quod hæc præsentia terræ bona, quibus magnus honor tribuitur, uirtuti contraria sunt, & uigorem mentis eneruāt: quæ tandē potest firma esse nobilitas, quæ opes, quæ potētia, quū possit deus reges quoq; ipsos inferiores infimis facere? Et ideo consulens nobis deus, inter diuina præcepta illud præcipue posuit: Qui se extollit, humiliabit: & qui se humiliat, exaltabitur. Cuius præcepti salubritas docet, quod qui se apud homines planum fecerit, humilemq; præbuerit, hic apud deum præcellens & insignis habeat. Nec enim falsa est illa sentētia, quæ apud Euripidem fertur in hunc modum: Quæ hic mala putantur, hæc sunt in cœlo bona.

Quomodo Carneades, & iura pro utilitate sancita, & ueram in hominibus iustitiā, nisi forte stultis collegerit, inueniri nō posse: Et quod ciuilis iustitiā sapientiā quidem habeat, sed iniustā: naturalis autem iusta sit utiq;, sed sapientiam omnino non habeat. Cap. XVII



Xposui causam, cur philosophi nec inuenire iustitiā, nec defendere potuerunt. Nunc redeo ad illud, quod intenderam. Carneades ergo, quoniā erant infirma quæ à philosophis asserbant, sumpsit audaciam refellendi, quia refelli posse intellexit. Eius disputationis summa hæc fuit

A fuit: iura sibi homines pro utilitate sanxiffe, scilicet uaria pro moribus, & apud eosdem pro temporibus saepe mutata: ius autem naturale esse nullum. Omnes & homines, & animantes alias ad utilitates suas natura ducente ferri: proinde aut nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam: quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens. Et inferebat haec argumeta: Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur dominio, si iusti uelint esse, hoc est si aliena restituat, ad casus esse redeundum, & in necessitate ac miseris iacendum. Tum ommissis communibus ad propria ueniebat: Bonus uir, inquit, si habeat seruum fugitiuum, uel domum insalubrem ac pestilentem, quae uicia solus sciat, & ideo proscribat, ut uendat: utrum ne profitebitur fugitiuum seruum, ac pestilentem domum se uendere, an celabit emptorem? Si profitebitur emptori fugitiuum esse, bonus quidem, quia non fallat: sed tamen stultus iudicabitur, quia uel paruo uendet, uel omnino non uendet. Si celauerit, erit quidem sapiens, quia rei consulit: sed idem malus, quia fallat. Rursus, si reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet uendere, quum sit illud aurum: aut plumbum, quum sit argentum: tacebit ne, ut id paruo emat, an id indicabit, ut magno? Stultum plane uidetur emere malle magno. Unde intelligi uolebat, & eum qui sit iustus ac bonus, stultum esse: & eum qui sapiens, malum. Et tamen sine pernicie fieri posse, ut sint homines paupertate contenti. Trausibat ergo ad maiora, in quibus nemo potest sine periculo uitae iustus esse. Dicebat enim: Nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si forte naufragium fecerit, & aliquis imbecillior uiribus tabulam ceperit, nonne illum a tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus euadat? Quum maxime sit nullus medio mari testis: si sapiens est, faciet: Ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, iam uero iustus est, sed stultus: qui uitae suae non parcat, dum parcat alienae. Item si acie suorum fusa, hostes insequi coeperint, & iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, eum parcat, ut ipse occidatur, an deiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? Quod si fecerit, sapiens, sed idem malus: Si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. Ita ergo iustitiam quum in duas partes diuisisset, alteram ciuilem esse dicens, alteram naturalem, utranque subuertit: quod illa ciuilis, sapientia sit quidem, sed iustitia non sit. Naturalis autem, iustitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta haec plane & uenenata sunt, & quae M. Tullius non potuerit refellere. Nam quum facit Laelium Furio respondentem, proque iustitia dicentem, irrefutata haec tanquam foueam praetergressus est: ut uideatur idem Laelius non naturalem, quae in stultitiae crimen uenerat, sed illam ciuilem defendisse iustitiam: quam Furio sapientiam quidem esse concesserat, sed iniustam.

Carneadis de iustitia argumenta.

Contra Carneadem, quod nec stultus potest esse iustus, nec sapiens iniustus: & quod innocetibus & iustis deus semper optime consulit, & necessaria prouidet: quae patent ex definitione stultitiae, & sapientiae: & quae sit cognatio hominis & dei. Cap. XVIII



Quod ad praesentem disputationem pertinebat, ostendi, quomodo iustitia similitudinem stultitiae gerat, ut appareat non sine causa decipi eos, qui putant nostrae religionis homines stultos esse: qui talia uideantur facere, qualia ille proposuit. Nunc maius a me exigere sentio, ut ostendam, quare iustitiam deus stultitiae specie conuolutam ex oculis hominum uoluerit auferre, si prius Furio respondero: quia parum plene respondit Laelius, qui profectio licet sapiens fuerit (ut uocabatur) patrocinari tamen uerae iustitiae nullo modo poterat: quia caput ipsum fontemque iustitiae non tenebat. Nobis autem facilior est ipsa defensio, quibus caelesti beneficio familiaris est, ac penitus nota iustitia, quicquid illam non

C nomine, sed re nouimus. Nam Plato & Aristoteles honesta quidem uoluntate iustitiam defendere cupierunt: effecissentque aliquid, si conatus eorum bonus, si eloquentiam, si uirtutem ingenij, diuinarum quoque rerum doctrina inuisset. Itaque opus illorum inane atque inutile iacuit, nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum prescriptio uiueret: quia fundamentum à caelo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certius sit necesse est, quod deus docuit. Illi enim depingebant uerbis, & imaginabantur iustitiam, quae in conspectu non erat: nec praesentibus exemplis confirmare poterant, quae asserebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita uiui, sicut illi sua disputatione prescripserunt, adeo ut nulli adhuc extiterint, qui id genus uitae sequerentur. Nos autem non uerbis modo, sed etiam exemplis ex uero petitis, uera esse, quae à nobis dicuntur, ostendamus. Sensit igitur Carneades quae sit natura iustitiae, nisi quod parum alte prospexit, stultitiam non esse: quantum intelligere mihi uidear, qua mente id fecerit. Non enim uere existimauit eum stultum esse, quia iustus est: sed quum sciret non esse, & rationem tamen, cur ita uideretur, non comprehenderet, uoluit ostendere latere in abdito ueritatem, ut decretum disciplinae suae ueretur: cuius summa sententia est, nihil percipi posse. Videamus ergo utrum ne iustitia foedus aliquod habere cum stultitia possit. Iustus, inquit, si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est. Primum omnium nego ullo modo fieri posse, ut homini, qui quidem uere iustus sit, eiusmodi casus eueniat: quia iustus neque cuiquam irato inimicus, nec quicquam omnino appetit alienum. Cur enim nauiget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, aut se alienis furoribus misceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua uersetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui neque lucrum sciat appetere, cui sufficit uictus, & non modo ipse caedem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas? Sed omitto ista, quoniam fieri potest, ut uel inuitus ad haec subeunda cogatur. Adeone ergo iustitiam o Furi, uel potius o Carneade, cuius est illa omnis ratio, tam inanem, tam superuacuam, tamque contemptam deo putas, ut nihil possit, nihilque habeat in sese, quod ad custodiam sui ualeat? Sed uidelicet, qui sacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc uitam temporalem referunt omnia, quanta sit uis iustitiae scire non possunt. Nam & quum de uirtute disputant, quamuis intelligant aerumnis ac miserijs esse plenissimam, tamen expetendam esse aiunt sua causa: eius enim praemia, quae sunt aeterna & immortalia, nullo modo uident. Sic rebus omnibus ad hanc praesentem uitam relatis, uirtutem plane ad stultitiam redigunt. Siquidem tantos huius uitae labores frustra & inaniter suscipit. Sed haec alio loco plenius. Interim de iustitia (ut coepimus) cuius tanta uis est, ut quum oculos in caelum sustulerit, à deo mereatur omnia. Recte igitur Flaccus tantam esse dixit innocentiae uim, ut ad tutelam sui non egeat nec armis, nec uiribus, quacumque iter fecerit:

Integer uitae, scelerisque purus
 Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
 Nec uenenatis grauida sagittis,
 Fulce, pharetra.
 Siue per Syrteis iter aestuosas,
 Siue facturus per inhospitalem
 Caucasum, uel quae loca fabulosus
 Lambit Hydaspes.

Non potest ergo fieri, quin hominem iustum inter discrimina tempestatum atque bellorum, caelestis tutela custodiat, ac non etiam, si cum paricidis & nocentibus nauiget,

Iustitia nihil
 habet cum stul-
 titia commu-
 ne.

A uiget, aut malis quoque parcat, ut una iusta & innocens anima liberetur, aut certe pereuntibus ceteris, sola seruetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit philosophus: quid ergo iustus faciet, si nactus fuerit aut in equo faucium, aut in tabula naufragum? non inuitus confiteor, morietur potius quam occidet: nec ideo tamen iustitia, quod est singulare hominis bonum, stultitiæ nomen accipiet. Quid enim melius, quid charius homini esset debet, quam innocentia? quæ utique tanto perfectior sit necesse est, quanto illam produxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de innocentia ratione minuatur. Stultitia est, inquit, alienæ animæ parcere cum perniciæ suæ. Num etiam pro amicitia perire, stultum iudicabitur? Quid ergo familiares illi Pythagoræ laudantur à uobis, quorum alter se tyranno uadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, quum iam sponsor eius duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interuentu suo liberauit: quorum uirtus in tanta gloria non haberetur, quum alter pro amico, alter etiam pro fide mori uoluisset, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam uirtutem tyrannus his gratiam retulit, utrumque seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est. Quinetiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent, non utique tanquam stultos, sed tanquam bonos, & sapientes uiros. Itaque non uideo, quare quum pro amicitia & fide mori summa gloria computetur, non etiam pro innocentia perire sit homini gloriosum. Ergo stultissimi sunt, qui nobis crimini dant, mori uelle pro deo: quum ipsi eum, qui pro homine uoluit mori, in coelum summis laudibus tollant. Denique ut concludam disputationem, non posse eundem stultum esse, ac iustum, & eundem sapientem, & iniustum docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit bonum ac iustum nescit, & ideo semper peccat: ducitur enim quasi captiuus à uitijs, nec resistere ullo modo potest: quia caret uirtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet: quod aliter facere non potest, quam si habeat recti prauisque notitiam. Rectum autem discernere à prauo quis potest nisi sapiens? Ita fit, ut nunquam possit iustus esse, qui stultus est: neque sapiens, qui fuerit iniustus. Quod si est uerissimum, manifestum est eum, qui aut naufrago tabulam, aut equum faucio non ademerit, stultum non esse: quia hoc facere peccatum est, à quo se sapiens abstinet. Videri tamen & ipse profiteor, per hominum errorem ignorantium cuiusque rei proprietatem. Itaque omnis hæc quaestio non tam argumentis, quam definitione dissoluitur. Stultitia igitur est, in factis dictisque per ignorantiam recti ac boni erratio. Ergo stultus non est, qui ne sibi quidem parcat, dummodo alteri non noceat, quod est malum. Quod quidem nobis & ratio & ueritas ipsa præscribit. In omnibus enim uidemus animalibus, quia sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam. Nocent igitur alijs, ut sibi prosint: nesciunt enim, quia malum est nocere. Homo uero, qui scientiam boni ac mali habet, abstinet se à nocendo, etiam cum incommodo suo: quod animal irrationale facere non potest. Et ideo inter summas hominum uirtutes innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientissimum esse, qui maluit perire, ne noceat, ut id officium, quo à mutis discernitur, seruet. Nam qui uendentis errorem non redarguit, ut aurum paruo emat: aut qui non profitetur seruum fugitiuum, uel pestilentem se domum uendere, lucro & commodo suo consulens, non est ille sapiens, ut Carneades uideri uolebat, sed callidus & astutus. Calliditas & astutia in mutis quoque animalibus sunt: uel quum insidiantur alijs, & dolo capiunt, ut deuorent: uel quum insidias aliorum uario genere deludunt. Sapientia uero in hominem solum cadit. Sapientia enim est intelligentia, uel ad bonum rectumque faciendum, uel abstinentia dictorum, factorumque improborum. Lucro autem nunquam sapiens studet, quia bona hæc terrena continent: nec quenquam falli patitur, quia boni uiri officium est, errores hominum corrigere,

Pythias & Damon Pythagoræ rici.

Animal

C eosq̄ in uiam reducere. Siquidem socialis hominis est ac benefica natura, qua sola cognitionem cum deo habet.

Quod ignorantia immortalitatis & dei ueri, prædictorū errorum causa est, & mortem meretur æternā: Et quod homo non sit hominis genitor, sed minister generationis: Et quare deus ueram sapientiam uoluit sub specie stultitiæ occultari. Cap. XIX



Ed nimirū hæc causa efficit, ut stultus esse uideatur, qui egere aut mori malit, q̄; noceat, uel eripiat aliquid alteri: quod hominē morte deleri putant: ex eaq̄; persuasione omnes tum uulgi, tum etiam philosophorum nascūtūr errores. Si enim post mortem nihil sumus, profectō stultissimi est hominis, non huic uitæ cōsulere, ut sit quamdiutina, & cōmodis omnibus plena: quod qui faciet, à iustitiæ regula discedat necesse est. Si autem superest hominī uita melior & longior: quod & philosophorū magnorū argumentis, & uatum responsis & prophetarū diuinis uocibus discimus, hanc præsentem cum suis bonis cōtemnere sapientis est, cuius omnis iactura immortalitate pensatur. Apud Ciceronem idem ipse iustitiæ defensor Lælius: Vult, inquit, planē uirtus honorē, nec est uirtutis ulla alia merces. Est planē & quidem uirtute dignissima, quam tu Læli nequaquā; poteras suspicari: nihil enim diuinarū noueras literarū: Quā tamen illa, inquit, accipit, facile exigit, non acerbe. Erras uehementer, si putas ab homine præmiū solui posse uirtuti: quum ipse alio loco uerissime differas, Huic uero quas diuitias obijcies: quæ imperia: quæ regna: qui ista putat humana, sua bona diuina iudicat. Quis ergo te sapientem Læli putet, quum ipse tibi loquere contraria: & paulò post adimīs uirtuti, quæ dedisti. Sed uidelicet ignorantia ueri facit incertam labantemq̄; sententiā. Deinde quod adiungis: Sed si aut ingrati uniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes, suis uirtutē præmijs spoliant. O quam fragilem, quam inanem uirtutē induxisti, si spoliari potest suo præmio. Quæ si bona sua diuina iudicas, ut aiebas, qui possunt existere tam ingrati, tam inuidi, tam potentes, qui uirtutem spoliare ualeant ijs bonis, quæ fuerint in eam collata diuinitus: Nec illa se, inquit, multis solatijs oblectat, maximeq̄; suo decore se ipsam sustentat. Quibus solatijs, quo decore, quū in crimen saepe ueniat, & in pœnam decor ille uertatur: Quid enim si (ut Furius dicebat) rapiatur, uexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, effodiantur ei oculi, damnetur, uinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur, perdet ne suum præmiū uirtus: An potius peribit ipsa: Minime: sed & mercedē suā deo iudice accipiet, & uiuet, & semper uigebit. Quæ si tollas, nihil potest in uita hominū tam inutile, tam stultū uideri esse, quam uirtus, cuius naturalis bonitas & honestas docere nos potest, animā non esse mortalem, diuinumq̄; illi à deo præmiū constitutū. Sed idcirco uirtutem ipsam deus sub persona stultitiæ uoluit esse celatam, ut mysterium ueritatis ac religionis suæ esset arcanū: ut has religiones sapientiamq̄; terrenam extollentem se altius, sibiq̄; multum placentem, uanitatis errorisq̄; damnaret: ut proposita deniq̄; difficultate per angustissimos tramites ad immortalitatis præmiū sublime perduceret. Docui, ut opinor, cur populus noster apud stultos stultus habeatur: Nam cruciari atque interficī malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum iactare, tam ineptū uideretur, quam in periculo uitæ, alterius animā magis curare quam suam. Nesciunt enim quantū sit nefas adorare alium præterquam deum, qui cōdidit cœlum ac terram, qui humanum genus finxit, inspirauit, luce donauit. Quod si seruatorum nequissimus habetur, qui dominū suum fuga deserit, isq̄; uerberibus, uinculis, ergastulo, & cruce, & omni malo dignissimus iudicatur: & si filius eodē modo perditus atq̄; impius existimat, qui patrē suum dereliquerit, ne illi obsequatur: ob eamq̄;

Cur deus uirtutem sub persona stultitiæ occultauerit.

A ob eamque causam dignus putatur, quod sit exhaeres, & cuius nomen de familia in perpetuum deleatur: quanto magis qui deum deserit, in quem duo uocabula, domini & patris aequae ueneranda conueniunt: Nam ille qui seruum precio comparat, quid in eum beneficii confert, praeterquam alimenta, quae illi utilitatis suae gratia subministrat: Et qui filium generat, non habet potestatem ut concipiatur, ut nascatur & uiuat. Vnde apparet non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo supplicij dignus est desertor eius, qui dominus uerus & pater est, nisi quae deus ipse constituit: qui spiritibus iniustis aeternum parauit ignem, quod ipse per uates suos impijs ac rebellibus comminatur.

De insania eorum, qui deos colunt, & non audent ratione contendere cum fidelibus: & quare sacramentorum suorum silentium indicant: Et quod religio per patientiam defendenda est, & ratione potius quam seuitia, ferro, uel igne: Et quantum, & in quibus differunt religionis uerae cultus & falsae. Cap. XX

Illcant igitur & suarum & alienarum interfectores animarum, quam inexpiable facinus admittant. Primum, quod seipsos iugulant perditissimis daemonebus seruiendo, quos deus in aeterna supplicia damnauit. Deinde, quod nec ab alijs deum coli patiuntur, sed auertere homines ad mortifera sacra contendunt: nitunturque summa diligentia, ne qua sit anima incolumis in terra, quae saluo statu suo spectet in caelum. Quid aliud dicam quam miseros, qui praedonum suorum instigationibus parent, quos deos esse opinantur, quorum neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem sciunt: Sed inhærentes persuasioni uulgaris libenter errant, & stultitiae suae fauent. A quibus si persuasionis eius rationem requiras, nullam possunt reddere: sed ad maiorum iudicia confugiunt, quod illi sapientes fuerint, illi probauerint, illi sciuerint quid esset optimum: sed ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic impliciti rerum ignorantia, nec se, nec deos suos norunt. Atque utinam soli errare, soli desipere uellent. Alios etiam in confortium mali sui rapiunt, quasi habituri solatium de perditione multorum. Sed haec ipsa ignorantia efficit, ut in persecutis sapientibus tam mali sint. Fingunt se illis consulere, illos ad bonam mentem uelle reuocare. Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? Minime: sed ui atque tormentis. O mira & caeca dementia. In ijs putatur mala mens esse, qui fidem seruare conantur, in carnificibus autem bona: In ijs ne mala mens est, qui contra ius humanitatis, contra fas omne lacerantur: An potius in ijs, qui ea faciunt in corporibus innocentium, quae nec saeuissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immaniissimi barbari aliquando fecerunt: Adeone etiam sibi mentiuntur, ut uicissim boni ac mali nomina transferant & immutent: Quid ergo non diem noctem uocant, solem tenebras? Alioquin eadem imprudentia est, bonis malorum nomen imponere, sapientibus stultorum, iustis impiorum: quinimmo, si qua illis fiducia est uel in philosophia, uel in eloquentia, arment se ac refellant haec nostra, si possunt: congregiantur cominus, & singula quaeque discutiant. Decet eos suscipere defensionem deorum suorum, ne si nostra inualuerint (ut quotidie inualescunt) cum delubris suis ac ludibrijs deserantur. Et quonia ui nihil possunt (augetur enim religio dei quanto magis premitur) ratione magis & hortamentis agant. Procedant in medium pontifices, seu minores, seu maximi flamines, augures, item reges, sacrificuli, quaeque sunt sacerdotes & antistites religionum. Conuocent nos ad concionem, cohortentur nos ad suscipiendos cultus deorum: persuadeant multos esse, quorum numine ac prouidentia regantur omnia: ostendant origines & initia sacrorum ac deorum, quomodo sint mortalibus tradita: qui fons, quae ratio sit, explicent: proferant

C quæ merces in cultu, quæ poena in cōtemptu maneat: quare ab hominibus se colī uelint: quid illis si beati sunt, humana pietas cōferat. Quæ omnia non asseueratione propria (nec enim ualet quicquā mortalis hominis autoritas) sed diuinis aliquibus testimonijs confirmet, sicuti nos facimus. Nō est opus ui & iniuria: quia religio cogi non potest. Verbis potius quā uerberibus res agenda est, ut sit uoluntas: distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum uera est, afferatur: parati sumus audire, si doceāt: tacentibus certe nihil credimus, sicut ne sc̄uentibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem totius rei exponāt. Nos enim non illicitus (ut ipsi obiectant) sed docemus, probamus, ostendimus. Itaq; nemo à nobis retinetur inuitus: inutilis est enim deo qui fide ac deuotione caret. Et tamen nemo discedit, ipsa ueritate retinente. Doceant isti hoc modo: si qua illis fiducia ueritatis est, loquantur, discant: audeant inquam disputare nobiscū aliquid eiusmodi: iam profectō ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris nostratibus error illorum ac stultitiā ridebitur. Quum enim sint peritissimi, deorumq; progeniem, & res gestas, & imperia, & interitus, & sepulchra de libris nouerint, ipsosq; ritus quibus sunt initiati, uel ex rebus gestis hominū, uel ex casibus, uel etiā ex moribus natos sciant: incredibilis dementia est deos putare, quos fuisse mortales negare non audeant: uel si tam impudentes fuerint, ut negent, suā illos ac illorū literæ coarguēt: ipsa deniq; illos sacrorum initia conuincet. Sciant igitur ex hoc ipso quātum inter sit inter uerum & falsum, quando ipsi qui sunt eloquentes, persuadere nō possunt: imperiti ac rudes possunt, quia res ipsa & ueritas loquit̄. Quid ergo sc̄uunt, ut stultitiā suam dum minuire uolunt, augeant: longe diuersa sunt carnificina & pietas: nec potest aut ueritas cum ui, aut iustitia cum crudelitate cōiungi. Sed merito nō audent de rebus quicquā docere diuinis, ne à nostris derideantur, & à suis deserantur. Nam forte uulgus, cui simplex incorruptumq; iudicium est, si mysteria illa cognoscat in memoria mortuorū cōstituta, damnabit: aliudq; uerius quod colat, quæret. Hinc fida silētia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat. Quū autem nos in eorū doctrinis uerseremur, cur nobis aut nostris nō credunt, qui utrunq; nouimus: aut inuidet, quia falsis uera prætulimus. Sed defendenda sunt, inquit, publice suscepta sacra. O quā inhonesta uoluntate miseri errant. Sentiūt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa ui oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, nō occidendo, sed † moriendo: nō sc̄uitia, sed patientia: nō scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse quidem est bonum in religione uersari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere uelis, iam non defendetur illa, sed polluetur & uiolabitur. Nihil est enim tam uoluntarium, quā religio: in qua si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionē patientia uel morte defendas: in qua fides cōsecrata, & ipsi deo grata est, & religioni addit autoritatē. Nam si is qui in hac terrestri militia regi suo fidē seruat in aliquo egregio facinore, si postea uixerit, acceptior fit & charior: si perierit, summam consequitur gloriam, quod pro duce suo mortem occubuerit: quāto magis imperatori omnium deo fides seruanda est, qui nō tantum uiuentibus, sed & mortuis præmium potest uirtutis exoluere: Igitur dei cultus, quoniam militiæ cœlestis est, deuotionem maximā fidemq; desiderat. Quomodo enim deus aut amabit colentē, si ipse nō ametur ab eo: aut præstabit precanti quicquid orauerit, quum ad precandum neq; ex animo neq; obseruanter accedat: Isti autem quum ad sacrificandum ueniunt, nihil intimum, nihil propriū dijs suis offerunt, non integritatem mentis,

† monendo
Religio quomodo defendenda.

non

A non reuerentiam, non timorē. Peractis itaq; sacrificijs inanibus, omnem religionē in templo, & cum templo, sicut inuenerāt, relinquunt: nihilq; secum ex ea neque afferunt, neq; referunt. Inde est, quod eiusmodi religiones nec bonos facere possunt, neq; firmæ ac immutabiles esse. Traducuntur itaq; ab his homines facile: quia nihil ibi ad uitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quæ est enim superstitio illorū deorum? quæ uis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quō tendit? aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter seruari, fortiterq; defendi? In qua nihil aliud uideo, quàm ritum ad solos digitos pertinentē. Nostra uero religio eo firma est, & solida & immutabilis, quia iustitiam docet, quia nobiscū semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, q̄ sanguis pecudum, & furus, & inepta libatio: Hic bona mens, hic purū pectus, innocens uita. Illuc ueniūt sine delectu adulteræ, impudicæ lenæ, procaces & obscœnæ meretrices: ueniunt gladiatores, latrones, fures, uenefici: & precatur nihil aliud, quàm ut scelera impune cōmittant. Quid enim latro sacrificās, aut gladiator roget, nisi ut occidat? Quid uenenarius, nisi ut fallat? Quid meretrix, nisi ut plurimū peccet? Quid adultera, nisi ut mortem uiri optet, aut ut sua impudicitia celetur? Quid lena, nisi ut multos bonis exuat? Quid fur, nisi ut plura cōpilet? Hic uero etiam leui cōmuniq; peccato locus nullus est. Et si quis ad sacrificiū non integra cōscientia uenerit, audit quæ illi deus cōminetur, ille qui latebras cordis uidet, qui peccatis semper infestus est, & exigit iustitiā, qui fidem poscit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt, q̄ malum sit quod colunt: quandoquidem flagitijs omnibus inquinati ueniunt ad precandum: & se pie sacrificare opinantur, si cutem lauerint: tanq; libidinem intra pectus inclusam ulli amnes abluant, aut ulla maria purificēt. Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur, & uno uirtutis ac fidei lauacro uniuersa uitia depellere. Quod qui fecerit, quamlibet inquinatū ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

foenerarius

Quod hostes suos adorat stulta gentilitas, quorum cultus non modo Christiani, sed & philosophi, & domestici cultores deorum destruunt. Cap. XXI



Sti autem, quia nesciunt quid, uel quo modo sit colendum, cæci & imprudentes in cōtrarium cadunt. Adorant itaq; hostes suos, latrones & interfectores suos uictimis placant, & animas suas cum thure ipso cremandas aris detestabilibus imponūt. Irascuntur etiam miseri, quod non similes alij pereant incredibili mentiū cæcitate. Quid enim uideant, qui solem non uident? quasi uero si dii essent, indigerent hominū auxilio aduersus cōtemptores suos. Quid ergo nobis irascuntur, si illi nihil possunt, nisi quod ipsi deos suos destruūt, de quorū potestate diffidūt? magis irreligiosi, q̄ qui omnino nō colunt. Cicero in suis legibus, quū caste ad sacrificia præciperet accedere: Pietatem, inquit, adhibeto, opes amoueto: qui secus faxit, deus ipse uindex erit. Recte hoc quidē: neq; enim fas est desperare de deo, quem ideo colas, quia potentem putes. Nam quomodo uindicare colentis iniuriā potest, qui suā non potest? Libet igitur ex his quærere, cui potissimum præstare se putent, cogendo inuitos ad sacrificiū. Iis ne quos cogunt? at non est beneficiū, quod ingeritur recusanti. Sed cōsulendum est etiam nolentibus, quando quod bonum sit, nesciunt. Cur ergo tam crudeliter uexant, debilitāt, cruciant, si saluos esse uolunt? Aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis aut perdant, aut inuitiles faciant, quibus uelint esse consultū? An uero dijs præstant? at nō est sacrificiū, quod exprimitur ab inuito: nisi enim sponte atq; ex animo fiat, execratio est: quū homines prosc̄ptione, iniurijs, carcere, tormen-

C tis adacti faciūt. Si dij sunt isti, qui sic coluntur: uel propter hoc solum colendi non sunt, quod sic colī uolunt: digni scilicet detestatione hominū, quibus cum lachrymis, cum gemitu, cum sanguine de membrīs omnibus fluente libatur. At nos contra, non expetimus ut deum nostrū, qui est omnīū creator, uelit nolit colat aliquis inuitus: nec si non coluerit, irascimur: confidimus enim maiestati eius, qui tam contemptum sui possit ulcisci, quā seruatorū suorū labores & iniurias. Et ideo quum tam nefanda perpetimur, ne uerbo quidē reluctamur: sed deo remittimus ultionem: non ut hi faciūt, qui defensores se esse deorū suorū uideri uolunt, & sæuiunt efferate aduersus non colentes. Ex quo intelligi datur, q̄ non sit bonū deos colere: quoniā bono potius adducendi homines ad bonū fuerant, non malo. Sed quia illud malum est, etiā officiū eius bono caret. At enim puniendi sunt, qui destruūt religiones. Num peius nos destruimus, q̄ natio Aegyptiorū, qui turpissimas bestiarū ac pecudū figuras colunt: quaedam etiā pudenda dictu tanq̄ deos adorāt? Num peius q̄ ijdem ipsi, qui, quū deos se colere dicāt, tamē eos publice turpiterq̄ deridēt: de quibus etiā per mimos agi, cum risu & uoluptate patiuntur? Qualis hæc religio, aut quanta maiestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? & qui hæc fecerint, nō pœnas uiolati numinis pendūt, sed honorati etiā laudatiq̄ discedūt. Num peius nos destruimus, quā quidā philosophi, qui omnino nullos deos esse aiunt, sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuitu fieri, quæ gerūtur? Num peius q̄ Epicurei, qui esse quidem deos, sed curare quicq̄ negant, neq̄ irasci eos, neq̄ gratia commoueri? Quibus dictis utiq̄ persuadent, colendos omnino nō esse: siquidē nec colentes respiciūt, neq̄ nō colentibus irascūtur. Præterea quum cōtra metus differunt, nihil aliud efficere conantur, q̄ ut nemo deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus & audiuntur libenter, & differuntur impune.

Quare maligni spiritus instigent cultores suos in persecutionem fidelium: & quare uera religio uideatur inanis. Cap. XXII



On ergo ideo aduersus nos insaniunt, quia dij non coluntur à nobis (à multis enim nō colūtur) sed quia ueritas penes nos est, quæ (ut est uerissime dictū) odiū parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos, qui patiuntur? Pergitur enim cæco & irrationabili furore, quē nos uidemus, illi nesciunt: non enim ipsi homines persequuntur, qui causam, cur irascantur innocentibus, non habent: sed illi spiritus cōtaminati ac perditī, quibus ueritas & nota est & inuisa, insinuant se mentibus eorū, & instigant nescios in furorē. Hi enim quandiu pax est in populo dei, iustos fugitant & pauent. Et quū corpora hominum occupant, animasq̄ diu uexant, adiurantur ab his, & nomine ueri dei fungantur. Quo audito & tremunt, & exclamant, & uri uerberariq̄ se testant: & interrogati qui sint, quando uenerint, quomodo in hominē irrepserint, confitentur. Sic extorti & excruciatī uirtute diuini nominis, exulāt: propter hæc uerbera & minas, sanctos & iustos uiros semper oderūt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odijs persequuntur, quos sibi graues sentiunt: exercentq̄ sæuitiam quam uiolentissime possunt, ut aut eorū fidem minuant per dolorem: aut si id efficere non quiuerint, auferant omnino de terra: ne sint, qui possint eorū nequitiam coercere. Non me fugit quid responderi e cōtrario possit. Cur ergo deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentē, quem dominū omnium cōfiteris, hæc fieri patitur, nec cultores suos aut uindicat, aut tuetur? Cur deniq̄ qui eum non colunt, opulenti, & potentes, & beati sunt, & honoribus regnoq̄ potiuntur, eosq̄ ipsos ditioni suæ ac potestati subiectos habent? Reddenda & huius ratio est rei, ne quid remaneat erroris. Nam in primis hæc causa est, cur existimeat religio dei uiuī

*Aegyptiorum
superstitio.*

*Dæmonum in
Christianos
odium.*

A uiui uim nō habere, quod inducant homines spe terrenorū ac præsentiū honorū, quæ ad curā mentis nullo modo pertinet: quibus quia carere iustos uidet, & affluere iniustos, & dei cultū inanem arbitrant, in quo inesse illa nō cernunt, & deorū ritus existimant ueros, quoniam cultores eorū & diuitijs, & honoribus, & regnis fruuntur. Verū ij qui sunt in hac existimatione, nō perspiciūt altius uim rationēq; hominis, quæ tota nō in corpore, sed in mente est. Nihil enim uident amplius, quàm corpus scilicet: quod quia uidetur oculis, manuq; tractabile est, imbecillū, fragile, mortale est: cuius sunt illa omnia bona, quæ cupiditati ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt uoluptates: & ideo tam caduca sunt, q̄ corpus ipsum. Animus uero, in quo solo est homo, quoniam subiectus oculis nō est, nec bona eius inspicere possunt, quæ in sola uirtute sunt posita: & ideo tam stabilis, & constans, & perpetuus sit necesse est, sicut ipsa uirtus, in qua est animi bonū.

Quare deus electos suos tradita impijs potestate uexari patiatur. Cap. XXIII



Longum est uniuersas uirtutū species promere, ut de singulis doceam quàm necesse sit, sapientē ac iustum uirum longe ab illis bonis abhorere, quibus quia fruuntur iniusti, deorum cultus ueri & efficaces esse creduntur. Quod ad præsentem pertinet quæstionē, satis est, si ex una

uirtute id probemus, quod intendimus. Nempe magna & præcipua uirtus est patientia: quā pariter & uulgi publicæ uoces, & philosophi, & oratores summis laudibus celebrant. Quod si negari nō potest, quin summa sit uirtus, necesse est iustū & sapientem uirum in potestate esse hominis iniusti, ut capiat patientiā. Patientia est enim malorū, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus ac sapiens, quia uirtutē capit, habet in se patientiā: qua carebit omnino, si nihil patietur aduersi. Contrā, qui in rebus prosperis agit, impatientis est, & uirtute maxima caret. Impatientem dico, quia nihil patitur. Innocentiā quoq; seruare non potest, quæ & ipsa iusto & sapienti uiro propria est uirtus: sed & nocet saepe, & concupiscit aliena, & rapit quæ cupierit per iniuriā: quia uirtutis expers, uitio peccatoq; subiectus est, & fragilitatis oblitus, animo insolenter elato tumet. Inde iniusti ac deum nescientes, & diuitijs, & potentia, & honoribus florent. Hæc enim cuncta iniustitiæ præmia sunt: quia & perpetua esse non possunt, & per cupiditatem uiolentiāq; quærunt. Iustus uero ac sapiens, quia illa omnia humana sunt (ut est à Lælio dictum) sua bona diuina iudicat: nec alienum quicq; concupiscit, ne quem contra ius humanitatis lædat omnino: nec ullam potentiam honorem uel desiderat, ne cui faciat iniuriā: Scit enim cunctos ab eodem deo, & eadem conditione generatos, iure fraternitatis esse coniunctos: Sed & suo contentus, & paruo: quia fragilitatis suæ memor, non amplius quærīt, quàm unde uitam sustentet: & ex eo ipso quod habuerit, impartitur etiam nō habenti, quia pius est. Pietas etiam summa uirtus est, & accidit ex eo quod uoluptates caducas uitiosasq; contemnit, quarum causa opes appetuntur: quoniam continens est ac libidinū uictor, & nihil timoris ac insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbū caput: sed placidus, & concors, & planus, & comis est, quia conditionem suam nouit. Quum ergo iniuriā nulli faciat, nec aliena cupiat, nec sua quoque, si ui auferantur, defendat, quum sciat etiam illatam iniuriā moderate ferre, quia uirtute præditus est: necesse est iustum hominem subiectum esse iniusto, & contumelijs ab insipiente affici sapientem: ut & ille peccet, quia iniustus est, & hic in † seruitutem abeat, quia iustus est. Si quis autem uolet scire plenius, cur malos & iniustos deus potentes, beatos, & diuites fieri sinat: pios contrā humiles, miseros, inopes esse patiatur: sumat eum Senecæ librum, cui titulus est, Quare bonis uiris multa mala accidant, quum

Patientia.

Pietas.

† se uirtutem
habeat.

Cur boni à deo
castigentur.

C sit prouidentia: in quo ille multa non plane imperitia seculari, sed sapienter ac pene diuinitus elocutus est: Deus, inquit, homines pro liberis habet: sed corruptos & uitiosos luxuriose ac delicate patitur uiuere: quia non putat emendatione sua dignos: Bonos autem, quos diligit, castigat saepius: & assiduus laboribus ad usum uirtutis exercet: nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depruari sinit. Vnde nemini debet mirum uideri, si pro nostris saepe delictis castigamur à deo. Imò uero, quum uexamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo patri: quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac uerberibus emendat. Ex quo intelligimus, nos esse deo curae: quoniam quum peccamus, irascitur. Nam quum posset populo suo & opes, & regna largiri, sicut dederat ante Iudaeis, quorum nos successores ac posterum sumus, idcirco tamen uoluit sub aliena ditione atque imperio degere, ne rerum prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac dei praecepta contemneret: sicut illi maiores nostri, qui saepe terrenis ac fragilibus istis bonis eneruati, aberrauerunt à disciplina legis, uinculaque ruperunt. Prouidit ergo quatenus cultoribus suis praestaret quietem, si mandata seruassent: & tamen eos emendaret, si praeceptis non obtemperassent. Itaque ne tam corrumperentur otio, quam patres eorum licentia, premi eos ab istis uoluit, in quorum manibus collocauit, ut & labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur ac tentet. Quomodo enim potest imperator militum suorum probare uirtutem, nisi habuerit hostem? Et illi tamen aduersarius exurgit inuito: quia mortalis est, & uinci potest. Deo autem quia repugnari non potest, ipse aduersario nomini suo excitat: non qui contra ipsum deum pugnent, sed contra milites eius, ut deuotionem ac fidem suorum uel probet, uel corroboret, donec pressurae uerberibus defluentem corrigat disciplinam. Est & alia causa, cur aduersus nos persecutiones fieri sinat, ut dei populus augeat. Nec est difficile monstrare, cur, aut quomodo illud fiat. Primum fugatur à deorum cultoribus plurimi, odio crudelitatis. Qui enim talia sacrificia non horreant? Deinde placet quibusdam uirtus ac fides ipsa: Nonnulli suspicantur deorum cultum non sine causa malum putari à tam multis hominibus, ut emori malint, quam id facere, quod alij faciunt, ut uiuant. Aliqui cupiunt scire, quidnam sit illud bonum, quod ad mortem usque defendit: quod omnibus, quae in hac uita iucunda & chara sunt, praefertur: à quo nec honorum, nec lucis amissio, nec dolor corporis, nec uiscerum cruciameta deterrent. Valent haec plurimum: sed illae maximae causae nostrorum numerum semper auxerunt. Audit circustans populus inter ipsa tormenta dicentes, nolle se sacrificare lapidibus humana manu factis, sed deo uiuo, qui sit in caelo. Multi hoc uerum esse intelligunt, & in peccatis admittunt. Deinde, ut fieri solet in rebus incertis, dum inter se inuicem quaerunt, quae sit huius perseuerantiae causa, multa quae ad religionem pertinent, diuulgata ac per rumorem uicissim aucupata discuntur: quae quia bona sunt, placeant necesse est. Praeterea ultio secuta, sicut semper accidit, ad credendum uehementer impellit. Ne haec quidem leuis causa est, quod immundi daemonum spiritus accepta licentia multorum se corporibus immergunt: quibus postea reiectis, omnes qui resanati fuerint, adhæreant religioni, cuius potentiam senserunt. Haec tot causae in unum collatae, magnam deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

Quod honorum tortores torquebuntur: & malas bestias de terra auferet deus. Cap. XXIII



Quid ergo aduersum nos mali principes moluntur, fieri ipse permittit. Et tamen iniustissimi persecutores, quibus dei nomen contumeliae ac ludibrio fuit, non se putent impune laturos: quia indignationis aduersus nos eius quasi ministri fuerunt. Punientur enim iudicio dei, qui